



# Admonitio de Theodori Bezae, aduersus D. Pappum, libello,

<https://hdl.handle.net/1874/424758>

pe

6

# Admonitio DE THEODORI BEZÆ, ADVERSUS D. PAPPVM, LIBELLO.

SCRIPTA

A

M. Vvilhelmo Holdero, Ecclesiæ Stutgar-  
dianæ ministro.

Cum Præfatione Collegij Theologici Tübingeris,

*Malo nodo malus quarendus est cunem.*



T U B I N G A  
Excudebat Georgius Gruppenbachius,  
Anno 1580.

# COLLEGIVM STVDII

THEOLOGICI TVBINGENSIS

Lecturis salutem.

**H**ISTORIA SACRA DOCET, POPVLVM  
Hebraum reuersum è seruitute Babylonica, ac vrbis tem-  
pliq; ruinas instaurantem, à propinquis populis, incursiones  
facientibus, ita fuisse vexatum, ut à cæpto opere disceden-  
dum fuerit, nisi una manu operas faceret, altera autem armatus vim  
hostilem propulsaret. Et sanè hac in parte Nehemia animi magnitudo  
meritò laudatur, qui Hebreos subinde adhortabatur, ne in eo opere de-  
ficerent, in quo Deum se scirent habere Architectum & protectorem.  
Itaq; & nouæ Hierosolymæ tum surgebant, & templum reparatum eſt:  
quæ res ad immortalem gloriam eius seculi pertinet. Fuit enim templum  
posteriorius, Prophetæ etiam teste, mole quidem, quam illud Solomonis an-  
gustius, re autem vera augustius: quod non modo sicut & illud prius, ry-  
miracula, ipsum autem duraturum esset, donec grande illud templum  
Domini, cuius termini ijdem sunt, qui orbis terrarum, ab Apostolis &  
doctoribus noui Testamenti ædificaretur: & superstrueretur summo  
angulari lapidi Iesu Christo.

Sed quæ veteris illius templi, ab Hebreis instaurati, eadem eriam  
Nouæ illius fortuna fuit. Nam cum Apostoli tantū opus molirentur,  
omnium ordinū homines, quasi coniuratione facta, impedire illud conati-  
sunt. Itaq; Apostoli nō solum in animis hominū felicem hanc architecto-  
nicam instituerunt, sed armis Scripturarū spiritualibus illis, Hebreo-  
rum & Gentium tela, argumenta videlicet, calumnias & blasphemias,  
quibus illi euertere & opprimere doctrinam illam veritatis cupiebant,  
propulsarunt. Deinde cum nascentem posse Apostolos Ecclesiam, nō mi-  
nus acerba tempora exciperent: & innumerabiles propè homines, in oīs  
occasionses impedienda ædificationis templi Domini intenti essent, boni  
& docti viri, quos hodie Patres vocamus, sedulò in hoc incubuerunt, ve-  
domus illa Domini contra insultus hæreticorum sarta rectaq; esset.  
Noz

## Præfatio.

Neq; enim ipsis tam elaborandū fuit, ut fundamenta doctrinæ Euangelicæ, in animis hominū probè iacerentur, quàm vt syncerior doctrina incorrupta, ad posteritatem transmitteretur. Hinc insigniū virorū lucubrations, contra Hæreticos hodiè extant: quibus docemur, priscos illos homines, acerrimos veritatis propugnatores fuisse. Iam vero, cùm posse verè Babyloniam seruitutem, Romanensem illā, singulari Dei beneficio, in hac mundi senecta, per D. Lutherum, virum omni seculorum memoria dignissimum, ex ruinis humanarum traditionum, instauratum esset templum Domini: & Christus, cuius illud antiquum templum typus fuit, & in quo tota crescit structura, luculentius quàm superioribus temporibus, ex sacris demonstratus esset, incredibile est, quàm multi se huic tam necessariae instauratiōni opposuerint. Sed in his templi & sacrae structuræ oppugnatoribus, præcipui fuerunt Sacramentarij, qui surgentem ex fundamentis domū Domini, si villa ratione possent, labefactare studuerunt. Quanquam enim illi in ceteris cū Lutherō facere videretur, tamen negata vera corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia, cuniculos clam egerūt, ut maiestati hominis Christi detrahēretur.

Quod cum præuideret incomparabilis exempli vir, D. Lutherus, nō iam malleo duntaxat ad ædificationem, sed gladio verbi Dei contra eos reuendū existimauit: et iam olim ostendit, nō modo agi de cœna Domini, sed de Christi Seruacoris Majestate: quæ si ex animis hominū amittatur, dubium nō esse, quin in ipsis collapsa sit tota Religio: quæ soli Christo innitur. In hac contra fanaticos dimicatione fidissimos p̄pasatæ habuit, Brentiū, Pomeranū, Iustū Ionam & alios, qui partim viua voce, partim aut̄ scriptis suis, acriter cōtra aduersarios pugnauerunt. Ut aut̄ illi Heroës magno sc̄ animo istis opposuerūt, ita contrā factio Sacramentariorum toto conatu aduersus eos insurrexit. Hodie etiam cū nostri instaurare ruinas domus Domini, omni cura & diligentia conantur, illi renouare pugnas & concertationes subinde cupiunt: hostes pacis & pīc concordiae. Quod vel ex ijs solis actionibus videro esse, quas illi multiplices summa astutia, contra eos, qui hodiè ad concordiam summo studio elaborant, concionibus & scriptis suscepserunt. In

## Præfatio.

quibus sane omnibus hoc agunt, ut pios architectos, omni colorū generis  
obruant: & in societatem huius belli, Philosophos, Medicos, Rhetores,  
Grammaticos, pertrahunt: tantum in illis oppugnanda veritatis studiū  
est. Quanquam autem Philosophia suam laude relinquimus, si ea me-  
minerit, se in domo Domini non dominari, sed seruam esse, tamen qui  
ferat, ut ea veluti altera Agar, contra Sarah, Sacram videlicet Scri-  
pturam insurgat: & neget corpus & sanguinem Christi in cena exhibe-  
ri, quia ea locis inclusa, alibi esse nequeant: & hoc ne diuina quidem  
virtute ut aliter sit, effici posse: tam enim sublimes famula illa alit spir-  
itus, ut sine loco, præsentiam corporis, omni modo & ratione neget. Sed  
ita illi homines varij sunt, ut cum modo præsidio Philosophiae veluti  
armis quibusdam, ad opprimendam veritatē fuerint abusi, mox eandem  
quoq; peruertant, & ea afferant, que cū omni Philosophia pugnant. Ver-  
bi gratia, cum malunt dicere, oculum per animam videre, quam animā  
per oculum. Cum tamen docta antiquitas, præpositione PER de causa  
instrumentali loquens, semper utatur. Quod cum ex alijs, tū verò Ari-  
stotele & Alexandro Aphrodisensi eius commentatore expeditū est  
probare. Ita enim Aristoteles de sensu & sensili in libro primo scribit:  
η ἢ αἰδήσθε οὐτι ΔΙΑ σώματθ γίνεται τὸ φυχὴ δῆλορ. Et Alexander  
præpositionem ΔΙΑ repetit: η γάρ αὐτόθεμεν εἴπεγε, τὸ ταῖς αἰδήσθε, ΔΙΑ  
σώματιν ὡρ γέγανθε γίνεσθαι, & paulò post: τὸ γάρ αἰδήσθε διάζει, τὸ  
αἰδήσθε αἰλαρικάνει, ΔΙΑ τὸ αἰδήσθεωρ ἐστὶ ΣΩΜΑΤΑ. Deinde  
confiteri illi coguntur, si hac phraſi uti velint, non iam corpus humānū  
animā organū (quod tamē in definitione eius est: cum dicatur εἰπέλεχθ  
σώματθ ὁ γενινὸς) sed contrā animam corporis instrumentū esse. Nec  
est quodd nobis falsè obijcant, aliud esse malleum, aliud artificē: absurdit-  
ate quadā nostram sententiam refutatur. Aristoteles enim uno verbo  
rationes diuersas ὁργάνωρ, distinguit: cū in Ethicis ad Eudemū scribit,  
σώμα ἔναι τὸ θεονομονοματορ, instrumentū autem artificis, esse ὁστε δῆ-  
λορ ἀφυχορ. Ita ergo Philosophi isti in illo calore certaminis, sui obli-  
uiscuntur, ut in accurata philosophandi ratione, principia Philosophia  
negent, & phrases quibus omnes Philosophi vñi sunt, ἀνηρολογias vocē.  
Sapē

## Præfatio.

Sepè et iam similitudines ex Philosophia sumptas, intempestivè ad nos Theologicas adiungunt: cùm tamen ea in ordinem rerum illarum naturalium cogendæ non sint. Quàm enim inepta est similitudo illa capitis & membrorum, ( quam non eo sensu, quo egregie à D. Paulo in Corin-thijs usurpat a fuit, ad persuadendum videlicet hominibus amore mutuū afferunt ) sed hoc efficere volunt, cùm membrorū nulla fiat distractio & diuulsio, quamvis caput eo loco non sit, quo pedes, ita nequaquam separari naturas in Christo, si maximè eius humana natura non vbiq. cùm diuinam præsens sit. Afferunt præterea Oceanum, Antuerpiam, plænearum orbes, Solem & radios, quos ille in totum mundum diffundat. Quid autem crassius ad hanc tantam & cœlestem causam afferri potest, quàm quòd diuinam naturam diffusam in toto orbe esse, & per attingē-tiam quandam alteri coniungi imaginantur: quemadmodum caput pe-dibus iunctū est per media membra: & Sol in rebus inferioribus, radijs suis præsens esse dicunt: aut deniq. sicut Antuerpia mari alluitur, quod tamen se latissimè diffundit? Profectò disputatores illi, ne Aristotelem quidem, si ex inferis reuocari posset, aquū essent habituri. Cùm enim is senserit Deum esse Ens simplicissimum, & proinde partē extra partem non habere, nunquam concederet, cum instar maris aut radiorum dif-fusum, & ea ratione res alias attingere. Et ridiculū profectò est, quòd illi nugantur, nos corporis Christi diffusionem quandam & extensionem faceres, ( quod tamē ex nostrorū scriptis nequaquam probari potest ) nec interim animaduertunt, sementē illam simplicissimam, quæ mole præ-dita nō est, velut radios, aut mare ad quatuor partes orbis cœtra omnes & Philosophicas & Theologicas rationes extendere. Quòd si id, de quo nemo eruditus vñquam dubitauit, concederint, λόγος simplicissimum, vbiq. totum esse, quem colorem tandem allaturi sunt contra manifesti-simam & inuictam veritatem: cù nos ex eo hoc rectè conficiamus, λόγος humanam naturam vbiq. secum habere: quia eam non aliqua sua parte ( vt qui omni partitione careat ) sed totus totam assumpserit? Et hac sane idircò attulimus, vt ostendamus, quàm inepte illi philosophetur: & tela ex rerum natura afferre, & contra nos vibrare conentur; quæ ta-

## Præfatio.

men nulla consequentia , nullo fundamento , nulla solida ratione , que vel ipsis Philosophis probari possit , ad suam causam adiungant . De uno telorum genere diximus : sed & Patrum contra nos testimonia torquent : verum ita , ut ea mirum in modum contorqueant : quod ipsi manifestum est , qui antecedentia & consequentia , in Patrum scriptis , & eorum imprimis institutum diligentius perpendet . Præcereat cum verecundia fines dudum transferint , ut nauiter impudentes sint , eos etiam patronos erroris sui facere student , quos sciunt se perpetuos hostes , & aduersarios habuisse , Lutherum videlicet & Brentium : quos tamen defunctos , luctationes suæ ita ab hoc crimine defendunt , ut mirū sit , ab aduersariis , ex ipsis libris integumenta queri causa tam putidæ . At cum tela illa ineptè vibrata , obiectis luculentissimi testimonij illorū authorū excutuntur , aiunt se ab iratis illis ad sobrios & placidos prouocare : cū tamen in illorū scriptis perpetua & constas sententia de sacro illo epulo habeatur .

Porrò , cum ne hoc quidem armorū genere se proficere aliquid intelligunt , interdū nostrorū verbā ( quod Basilius de Hæreticis sui temporis eruditè dixit ) suffuratur , ut in auto lectori fucū faciant : quasi dextrè de doctrina cœnæ dominicæ sentiant . Sed mox seipso produnt , cum blasphemā cōtra sacratissimā cœnam , & Christi hominis Maiestatē afferunt . Itaq; nō iam cōtra solos doctores , sed ipsum Dominū dimicant . Quām n. tetrū est , quod illi palam dicere audent , tantū abesse carnē Christi à S. cœna , quantū absit supremū cœlum ab infima terra : cum tamen seruator Dominus testetur , se in hoc sacro epulo , verum corpus & sanguinē suum exhibere ? Iam verò illud quisferat , quod in hoc libello , Beza cōtra maiestatem Christi euomuit potius quām scripsit : humanam Christi naturā , in resuscitando Lazaro secundum animam quidem , voluntatem duntat , secundum corpus autem hanc vocem accommodasse , Lazare veniforās : diuinitatē verò resuscitationis causam fuisse ? An verò humana Christi natura plus tribuendum non est , quām Petro : qui & Thabitam resuscitare voluit , & in nomine Iesu eam resurgere iussit ? Quomodo autem Beza dicet carnem Christi vivificam , cum prater vocē nihil eicribat : ac disertè dicat , diuinitatem hoc miraculum edidisse ? Fallebatur ergo

## Præfatio.

Ergo D. Athanasius, qui luculenter scripsit, Deum λόγον unitum homini, edere prodigia, nō separatim à natura assumptus sed placuisse ei, PER IPSAM, IN IPSA, CVM IPSA, potentiam suam diuinā exercere? Errauit ergo Cyrus, qui multis locis carnem Christi afferit esse viuificam? Aut vanâne fuit gloriatio, cùm diceret Dominus sibi oīm potestatem datā in cælo & in terra? Nam si omnis potestas filio hominis data est, quod eos fateri necesse est, cur Beza ei præter consensum & vocem nihil relinquit? & eum quasi in Apostolorum ordinem cogit: qui & ipsi in edendis miraculis verumq; habuerunt. Quod si in eis rebus, quæ nobis aduersæ eueniūt, sola diuinitate Christi iuuamur, cur carnē eius, cū diuinitate adoramus? cur nō λόγον, quando precamur, à filio Mariae separamus? Quis non cū sancto Basilio dicat, hæc esse tela in cælū contra filium hominis vibrata: & cum D. Chrysostomo, eos homines denuo Christum crucifigere? Carterūm ut blasphemij Christum ipsum, ita conuictijs, calumnij propè infinitis, viros optimos, & in his D. Brentium præcipue perunt: multò deteriores hostibus populi Dei, qui restaurationē orbis & templi impedire conabantur. Nam illi viuos duntaxat vulnerabant, hi defunctis non parcunt: sed lingua sua, qua gladios acutissimos, ac ad omnes calumniarum occasionses paratissimos, circumferunt, homines innocentissimos; & præclarè de yniuersa Ecclesia meritos sauciare conantur. Et quos aliqui ex istis, viuos colere videbantur, nunc vita funeris, omni criminacionum & calumniarum genere, veluti cōfertissimis telis, obruere conantur. Cum ergo boni omnes videant, Sacramentarios roro conatu, aduersus pios architectos templi spiritualis, insurgere, & eos in primis, qui gloriam Seruatoris Domini partam teat volūnt, nemo sanus & pius damnare eorum studium debet, qui se illis Maiestatis & gloria Christi hostibus fortiter opponunt: & cum fideliter domi doceant, ac quasi malleos vna manu teneant, gladijs etiam spiritualibus, aduersus factionē Cinglianā ut antur: ne opus illud Sacri templi impediatur. Neq; enim audiēdi sunt quidā int̄cessiū urbani, qui disputationes illas λόγου πατέλας, & ostentationē potius ingeniōrū, quam studiū promouēde pie- ratis esse dicunt. Nam illi certè non intelligūt, permagnā rem Eccle- sia agi,

## Præfatio.

fia agi, in qua omnibus toto conatu elaborandū sit. Nam si Christo Domino nihil maius hic orbis habet, si ad solidas consolationes nihil nobis Christi gloria & maiestate (quā ille ad nostra emolumēta adiunxit) antiquius, nullo certè modo tantā causa, silentio & negligētia prodēda est.

Quare cùm pietate & doctrina egregius vir, D. M. Vilhelmus Holderus, Ecclesia Stutgardianæ Ecclesiastes fidelissimus, in illorū vītis operis numero sit, & non solum eruditè, sed magno etiam animo tela aduersariorum, scuto verbi Dei represserit & excusserit, & ab hominibus præclarè de Ecclesia meritis, calumnias quibus defundi illi onerantur, depulerit, sempiterna laude dignus es. Et quidem cùm ille prosua modestia, librum suum nobis offerret, ut iudicij nostri & consensus publicam etiam testificationē, si ille nobis probaretur, perhiberemus, haud grauatè hoc fecimus, partim quidem, ut ad posteritatem etiam testatum faceremus, intemperiem Cinglianorum maiorem in modum nobis disciplere: partim ut non possemus videri officio defuisse. Nam cùm in Bozœ libro, primum Brentius charissimus præceptor noster peratur, deinde clarissimi, & incomparabiles nobisq; coniunctissimi viri, D. D. Iacobus Andreae, Præpositus & Cancellarius Tübingensis, D. D. Lucas Osiander, aulae Illust: Principis nostri cōcionator, & Celsitatis ipsius à consiliis Ecclesiasticis, indignis modis tractetur, & mirificè ea doctrina exagitetur, quā syncerā, puram, & aduersus portas inferorū firmā nouimus, libro M. Holderi nostram sententiam ascribendam esse existimauimus.

Idq; eo consilio fecimus, ut intelligant vniuersi, nos à corruptelis fanaticorū toto animo abhorrete: & Christū Opt. Max. prescari, ut contra furores Caluinianorū, subinde excitet viros doctos & cordatos, qui hereses illorū solidis Scriptura fundamētis refutet: ut syncerior doctrina de sacra cœna, & Christi Maiestate, ad oēm posteritatē conseruetur. Nec de voluntate Dñi nos dubitare finit, illa præclara eius vox, cùm inquit: Ero vobisū usq; ad consummationem mudi. Nam cùm Historiae nos doceant, eum Cerintbi, Arrij, & aliorum hæreses profligasse, qui de Maiestate τῆ λόγῳ perperam senserunt, non dubia in spe sumus, eum hoc etiam gloria & Maiestatis suæ secundum humanam naturam hostes, Spiritu oris sui propediem conjecturum esse.

DE

# DE THEODORI BEZÆ, ADVERSVS D.

PAPPVM, LIBELLO, AD

pium Lectorem Authoris  
prefatio.

bezæ hinc pappo  
inserit apte indu  
et pappo exigit fuit  
et hinc  
et hinc

**A**NNVS I AM AGIT VR SEPTI - Liber Bezæ, Na-  
mus, quo Vespertilio quædam, Luscinia nomen thanælis nomi-  
mentita, ex prodigioso, nescio quo, tenebrarum ne euulgatus.  
loco, cemerè in lucem progressa, pluribus paßim  
Germania angulis, clanculum sese insnuauit.  
Et si verò, more suo, in omnem serendarum liti-  
um occasionem, intentus tenebrio ille esset, cælum terræ miscere pa-  
ratus, si vel asinus canem momordisset: tamen quia agrestem suem,  
quod dicitur, irritare prudens nemo vellet, totos ferè quinq; annos, Theopoli excus-  
voti compos fieri, utilitigator iste non potuit. Etenim, quod non sus dicebatur,  
patriæ solùm & professionis, sed & proprij nominis lucifugam hunc qui Geneua im-  
puduisse, pleriq; intelligerent, nihil admodum honesti, aut liberalis pressus erat.  
animi, ipsi esse, etiam sine cribro diuinabant. Et quia ex titulo, Titulus libri  
quem vniuersum ex mendacijs conflatum animaduertebant, de to- erat: Pro  
to libro, coniecturam ipsis capere, non magis esset difficile, quam ex vera presen-  
tatu dignoscere cuculum: vanitatem eius responſione proſsus in- tia Christi in  
dignam censebant.

Cum itaq; res ex voto & animi ſententia nequaquam ſuccede-  
ret, quid fecerit audi: exhibentur ipſi cuiusdam, proditorum eius  
opera, paucula pagella manu ſcripta: ille, quod aliter nō poſſet, cu-  
pidiſſime eas arripit, & Bezam Geneuenſem ſe fatetur, cumq; au-  
thorem ignoraret, tamen ne periret ipſi, tam pulchra ſcilicet occasio,  
authorem ipſem ſibi fingit, & proiecta animi intemperie, D.D. Io-

Cœna, aduersus  
Sacramentario-  
rum errorem  
Homilia due.

## Præfatio Authoris.

annem Pappum, Argentinensis scholæ & Ecclesiæ ministrum &  
 Professorem, publicè, sed falso, eius insimulat. Neq; in unum eum  
 (quem putat) authorem, sed plerosq; omnes totius Germanie insi-  
 gnores Theologos insurgens, tanquam pro aris & focis pugnat-  
 rus, plenis velis remisq; inuehitur. Etsi verò pij nonnulli dolerent  
 plurimum, neminem hacenus prodire, qui nimiam hominis petu-  
 lantiam contunderet: tamen quia certo consilio id fieri, & ego exi-  
 stimarem, quòd Camariam mouere nemo lubens veller, nec ego pro-  
 fectò vñquam manus in flamمام, nisi petitum id à me fuisset.  
 Postquam enim liber ille, et iam in manus non infime sortis homi-  
 num, nescio quo pacto, peruenisset, illi autem propietate sua impu-  
 dentiam istam ferrent indignissimè: postularunt, ut quod meū (sanè  
 tenue) de hoc libro esset iudicium, liberè & pingui omnino Minervia  
 profiterer. Etsi autem Augiae stabulum purgare, quam bastantas  
 sordes eluere, minus fortasse molestum fuisset, (quamvis similitan-  
 tum habuisse illud dicatur, quantū ter mille boues, pluribus etiam  
 annis reddere potuissent) tamen cum, quod petiissent illi, negare  
 mihi iam amplius non esset integrum, vel invito & nauseanti de-  
 uorandum id cadium fuit. Hoc itaq; breui libello, quæ mea de præ-  
 cipuis duntaxat esset sententia, monere solum, & quasi digitum in-  
 citati meæ aliquid tribuat. Etenim, ut ille apud Comicum inquit:  
 Rusticanus ego sum, & ligonem ligonem appello: reliqua verò sibi  
 imputet. Neq; enim ignorat illud, quod dicitur: Crude-  
 lem medicum intemperans ager  
 facit.

Quæ

Vae igitur Beza, toto hoc libro, sanè plurima,  
inepte partim, partim impie contra personam  
Christi, & veram corporis & sanguinis eius, in  
sacra Coena, præsentiam, euomuit: breuiter ad  
quatuor fere, ceu summa capita, reuocari posse videntur.  
Quædam enim vera dicit, quædam verisimilia, plurima  
falsa, pleraq; vero per calumniam conficta. De his, volen-  
te Domino, dicam ordine, &c, quoad eius fieri potest, breui-  
ter etiam, & perspicue.

## CAPVT 1.

## De veris.

V. syntaxis hanc habet  
quæsto i. utræ frægia  
qui pappus radiis 73

**E**T si autem veri propè nihil, aut certè parùm admis-  
sum, totus ille liber habet: istud tamen verissimum est,  
Bezam, quid tum ipse, tum socij eius, de vera præsentia cor-  
poris & sanguinis Christi in Coena, sentiant, vere interdù,  
& sine dolo exposuisse. Cum enim alias nihil minus do-  
cuisse videri velint, qu'ām panem & vinum in sacra coena,  
esse nuda signa, symbola, & figuræ absentis corporis &  
sanguinis Christi, atq; insignem sibi à nostris iniuriam fieri,  
subinde clamitent: sicut & hoc ipso libro Beza conqueritur, Pag. 124.

aberrare D. Pappum, neq; enim se vnquam inficiatum, cor-  
pus Domini P R A E S E N T E esse in Coena: tamen quod alias  
varie inuoluit, tegitq; mirifice, id hoc libro, nonnunquam,  
quasi sui oblitus, prodit aperte.

Qualem enim præsentiam intelligat, similitudine S O Pag. 121.  
L I S, (qua vtitur) abunde demonstrat: quem in cœlo exis-  
tentem, radijs tamen suis nos calefacere, ait, et si in terram  
ad nos non descendat.

A Simis

*Pag. 123.*

Similiter, cum docet, non alia ratione præsentem esse Christū in coena, quam O L I M sanctis P A T R I B V S, hoc est, tam absentem, quam cum nondum esset in rerum natura. Ita enim Beza ipse sese explicat, dicens: R E I P S A non dum in rerum natura humanitas ipsius erat, nedium, ut rea-  
*Pag. 124.* liter veteribus illis symbolis inexisteret.

*Pag. 126.*

Quemadmodum & paulo post id ipsum amplius con-  
firmat, cum inquit: F I D E nobis præsentia sunt, & quæ ab-  
sunt, & quæ nondum sunt, cum fides sit vños&vis rerum non  
existentium.

*Pag. 134.*

Ita, cum scribit, non magis præsentem esse nobis Chri-  
stum, secundum humanam suam naturam, quam Regem  
Hispaniarum Indiæ Orientali vel Occidentali, quarū neuz  
tram, opinor, nisi depictam forte vidit.

*Pag. 65.*

Quod & in posteriori Hom. Nathanaelis affirmat, cum  
inquit: N I H I L sanè aliud in S A C R A M E N T I S, quam in  
simpliçi V E R B O præberi, & à credentibus accipi.

*Nathanael.*  
*Pag. 68.*

Idem docet, non magis adesse corpus & sanguinem  
Christi, cum pane & vino Coenæ, quam sanguinem eius cu  
aqua baptismi, qui tamen S I G N I F I C A T V S tantum sit.  
Et quod pro vero Imperatore Christo, quem requirimus,  
S T A T U A M eius Beza statuarius collocat.

*Pag. 129.*

Imò, si maximè hoc posset Christus (quod hactenus  
quidem, & fortè etiamnum hodie, in controversia apud eos  
positum est) adesse tamen suo corpore non velle.

*Pag. 64.*

Hinc posteriori Hom. Nathanaelis, Sacramentalem  
panis & vini, cum corpore & sanguine Christi, coniunctio-  
nem, atq; præsentiam, ita definit, ut sit: qua ex diuina institu-  
tione, quod signis adhibitis S I G N I F I C A T V R, quantis-  
uis P R O C V L nunc A B S E N S, (nempe Christus ipse se-  
cundum carnem) veretamen, S. sancti virtute, & spirituali  
modo, fruendum præbeatur.

Inptis

## D. Pappum, libello, admonitio.

5

In primis vero admodum luculenter hoc libello, cum  
ait ad D. Pappum: Ego non video, qui possis inficiari, non  
tantum ipsum mortis, sed etiam ipsum met corporis Christi,  
pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi, visibilia  
virtutum nobis, ad excitandam eorum etiam ipsorum recordationem  
praebeti, certe ut in sece ac RE IPSA ABSENTE  
TIVM. Certe (inquit ille) ut in sece, & re ipsa absentium.  
Quorsum enim, ait, si res ipse PRÆSENTES sisterentur,  
illa munificencia adhiberentur:

Et, vt semel, quid velit, dicat, nullam in sacra coena cor- Pag. 121.  
poris nostri actionem esse, affirmat, praeter MERA M ipsam  
symbolorum acceptiōnem.

Hoc ergo vult Beza, vt, quantumcunq; illi nobiscum  
loquuntur, atq; verbis speciosis veram præsentiam corporis  
& sanguinis Christi in sacra Coena prædicent: certo tamen  
nobis persuadeamus, omnem illum verborum apparatum,  
vniuersam illam dicendi rationem, duntaxat ad decipiendū  
simpliciores comparatā, & institutā esse, cum præter nuda  
signa & symbola, corporis & sanguinis Christi, PROCVL  
ABSENTIVM, in coena nihil adesse existimēt: nihil, in-  
quam, adesse, præberi aut accipi, quām tantum visibilia  
virtutum (panem & vinū) in RECORDATIONEM corporis  
& sanguinis Christi, vi potē in SESE ac REIPS A ABS-  
SENTIVM, PROCVL, inquam, ABSENTIVM. Et  
hactenus profectio, Beza Nathanael est. Etsi enim vere Is-  
raelita non sit, sed potius Thomas quispiam incredulus, vt  
qui Christi carnis præsentiam, tantisper credere recusat, dos-  
nec oculi videant, & manus palpent, (de quo suo loco) neq;  
etiam, quæ dicit, in sece, ac re ipsa vera sint: tamen, quod sine  
dolo, quid ipse sentiat, profiteatur, Nathanaelis nomen con-  
cesserim.

Pag. 111.

Obtestamur autem hoc loco omnes, quotquot vel directe, vel obliquè Calviniano dogmati fauent, ut tandem oculos aperiant: nec, quia ipsi nihil vident, cæcos nos iudicent. Obscuramus eos summoperè, ne boues marinos nos, hoc est, fungos & stipites existimant, qui prorsus nihil intelligant: sed ne trunci ipsi sint videant. Ad ipsorum prouocamus conscientias, ut dicant nobis, hæc ne sit de rebus inanibus contentio? Λογομαχία ne tantum sit, & de verbis, non rebus ipsis, dissidium? An ne partibus pulchre adeò inter se conueniat? Nec de vera præsentia, sed tantum de modo controvèrtatur? Ego sanè sic iudico, eos, qui ita sentiant, aut prorsus nihil intelligere, aut candide, & bona fide, nobiscum non agere.

Isthæc autem convellere prolixè, quid opus est? Cum pijs animis vel auditu horrenda sint, in Deum autem planè impia & blasphema, quorum etiam authorem ipsum sapienter pudeat. Id ut pij omnes intelligent, ex pluribus Bezae, punctula adferam, quæ cum sese mutuo tollant, destruant, atque refutent, ego labore isto subleuatus fuero.

## *DE COENAC DOMINI*

*FARELLI ET BEZÆ MANVS  
scripta Confessio, Illustrissimo Principi, ac D. Domino  
Christophore Duc Virtembergico, pia  
& excellentis memoria,  
exhibita.*

**F**atemur ergo in Coena, non omnia modo Christibus neficia, sed IPSAM FILII HOMINIS SVB-  
STAN-

## D. Pappum, libello, admonitio.

7

STANTIAM, ipsam (inquam) VERAM CARNEM  
(quam Verbum æternum in perpetuam personæ unitatem  
assumpsit, in qua natus est, & passus pro nobis, resurrexit,  
& ascendit ad cœlos) & verum illum sanguinem, quem  
fudit pro nobis, non SIGNIFICARI duntaxat, aut tan-  
tum symbolice, figurate, vel typicæ, tanquam ABSEN-  
TIS MEMORIAM proponi, sed vere & certo repræsen-  
tari, exhiberi, & communicanda offerri.

Libro contra Brentium, pag. 467. & 408.

Quid enim amplius ponî in Cœna potest, quām nos  
ponamus: aiunt: non tantum symbola, sed etiam rem ipsam,  
id est, corpus illud ipsum, quod traditum est pro nobis, &  
sanguinem Domini pro nobis fusum, vere communicari:  
ASSENTIMVR. Quid enim esset alioqui Cœna Dos-  
mini, nisi ludicum spectaculum? Ergo nec de symbolis,  
nec de re ipsa inter nos controvèrtitur.

Eodem libro, pag. 244.

Etiam si inquit: (Brentium intelligit) nonnulli veterum  
panem & vinum cœna Dominicæ vocant mysteria, sym-  
bola, Sacra menta, signa & figuræ: tamen non sentiunt, ea  
esse signa seu figuræ RERVM ABSENTIVM, sed  
PRESENTIVM: ASSENTIMVR, ait ille.

Idem libro aduersus D. Pappum, pag. 124.

Rursus aberras a nostro argomento. Neq; enim VN-  
QVAM inficiatus sum, corpus Domini PRESENS  
esse in Cœna.

IN

*In Apologia ad Acta Torgensis, pag. 49.*

Itaque **C O R P O R A L E M**, id est, ipsiusmet Christi corporis perceptionem, ac novavit, **M I N I M E** tollimus ex cena. Ibidem: Nos eorum quoq; opinionem repudiamus, qui **V E R A M** rerum significatarum cum signis coiunctionem negant. Hæc Bezae verba sunt.

Atqui hoc quid est: Fateri, ipsam filij hominis **S V B - S T A N T I A M**, ipsam **V E R A M C A R N E M** eius, **V E R E** & **C E R T O** offerri & exhiberi: & interim scribere, non magis adesse, vel exhiberi eam in cena, quā sanguinem cum aqua in baptismo, qui **S I G N I F I C A T V S** tantum sit. Quid hoc est: assentiri nobis, non nuda tantum symbola ponenda in sacra **C Œ N A**, non, inquam, panem & vinū mysteria, symbola, signa, figuræ, rerum **A B S E N T I V M**, sed **P R A E S E N T I V M** affirmare, res item significatas cum ipsis signis **V E R E** coniungi: & docere interim, non magis cum symbolis & signis coniungi aut præsentia esse, quā cum **V E T E R I B V S** illis signis, de quibus tamen simil dicas, rem ipsam nondum in rerum natura fuisse, nedum ut realiter illis veteribus signis inexisteret. Quid hoc, inquam, est: protestari quasi de luculenta iniuria, nunquam se insciatū, corpus Domini **P R A E S E N S** esse in **C Œ N A**, non tollere corporis è **C Œ N A**: & interea de Cathedra profiteri, **N I H I L** sanè aliud in **S A C R A M E N T I S**, quā in simplici **V E R B O** præberi, vel à credentibus accipi. Quid tandem hoc est: dicere, veram carnem & verum sanguinem Christi in Cœna non **S I G N I F I C A R Y** tantum, aut duntaxat symbolicè, figuratè, vel typicè, tanquā **A B S E N T I S M E M O R I A M**, proponi; sed vere & certo exhiberi: & alta voce assere.

## D.Pappum, libello, admonitio.

9

ce assuerare, præberi in Cœna panem & vinum, visibilia  
virtutæ corporis & sanguinis Christi, ad excitandam horū  
ipsorum recordationem, certe ut in se se RE IPSA A B:  
SENTIVM, & quidem procul absentium, sicuti solis &  
Hispaniarum Regis exemplo amplius ille declarauit. An  
non hoc est vertiginis spiritu agitari? An nō hæ furia sunt?  
An non hoc vere est duabus sellis sedere? Alterum pedem  
in calceo, alterum in pelvi habere? An non hoc est Proteo  
& Chamaeleonte mutabilorem esse? Et, vt vno comple-  
star fasce, calidum & frigidum simul ex vno ore efflare?  
Et si autem non ignorem, quo pacto eludere ista, atque  
Deo & Ecclesiae eius illudere, Luciani isti soleant: hoc tamē  
perspicue affirmo, viri boni nequaquam esse, pñ verò &  
Christiani multo minus, in hunc modum tergiuersari, & fa-  
cilitate simplicium malitiosè abuti: sed aperte potius agere  
& ingenuè: vt pote in re seria & momenti maximi, Sum-  
psit ille sibi Nathanaelis nomen, at quām temerè? In hoc  
enim dolum non esse, dixit, in cuius ore dolus inuentus nō *Ioan. 1.*  
est: Ille verò præter fraudes & mille dolos, quid quæso hæ-  
bet? Ad D.Pappum ille ait, inter bonos benè agier oportet: *Pag. 107.*  
hoccine est benè agere? fucum facere, & in laqueum ins-  
cautos inducere? scilicet; aut ergo bonos nos non iudicat,  
quibus perpetuo medit ostendit digitum, aut (quod facilius  
etiam persuaserit) ipse bonus nō est. In D. Pappo per ludis-  
trium plusculū scientiæ requirit, absolutæ scilicet eruditio-  
nis Theologus, nec anser inter olores: nos serio, candoris  
plusculum, & bonæ fidei, itn plurimum in ipso desidera-  
mus, petentes, vt quia iam alterum pedem in cymba Cha-  
rontis habet, agat constanter & syncrè, nec aliud stans,  
aliud sedens, loquatur.

B

Et

*De Theod. Bezæ, aduersus*

Et quia Nathanaelis nomen sibi vendicat, (et si, omnino  
præter meritum tributum ei sit) meminerit tandem eum, qui  
Nathanaelem sub sicu vidit, & quem ipse summo conatu  
oppugnat, etiam ima cordis eius penetralia in conspectu has-  
bere. Ideo serio secum cogitet, oro, quid illud sit, quod ante  
aliquot annos de confessione, quam dixi, in hunc modum  
scripsit: Ita autem sit nobis Deus omnipotens propitiatus, ut  
nihil hic scripserit calamus, quod animus C A N D I D U S &  
S I M P L E X non dictarit. Quæ si tunc verè & candidè  
scripsit: quid nunc pro leone murem, pro lana pilos, quid  
vmbram pro corpore, & pro nucleo putamina (vt in pro-  
verbio est) nobis ostendit? immemor eius, quod dicitur,  
multa nòris oportet, quibus Deum fallas. Nunc aliquot  
veteris Ecclesiæ testimonia subiçiam, quibus istam Cin-  
gianorum sententiam prorsus repudiant.

*Augustinus ad Neophytes, &c.*

Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc ac-  
cipite in calice, quod effusum est ē Christi latere. Erit enim  
illi M O R S non vita, qui M E N D A C E M P V T A V E R I T  
C H R I S T U M.

*Augustinus contra aduers. legis lib. 2.*

*Cap. 9.*

Nos mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum,  
carnem suam manducandam, bibendumq; sanguinem,  
dantem, fideli corde atque O R E suscipimus.

*Theophylactus in Matthæum.*

Porrò dicens: Hoc est corpus meum, ostendit, quod  
ipsum corpus Domini, est panis, qui sanctificatur in altario,  
& non

## D. Pappum, libello, admonitio. n

& non respondens FIGURA, non enim dixit: hoc est FIGURA, sed hoc est CORPVS meum.

### Chrysostomus Hom. 83. in Matthaeum.

Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cædi, sed nos secum in vnam (ut sic dicam) massam reducit: neq; id FIDE SOLVM, sed re ipsa nos corpus srum efficit.

### Chrysostomus Hom. 83. in Matthaeum, &c.

O quot modo dicunt: vellem formam & speciem eius, velle vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre: IPSVM sicutur VIDES, ipsum TANGIS, ipsum COMEDIS. Tu vestimenta eius desideras videre: ipse vero se ipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum etiam, ut tangas, & in te habeas.

### Chrysostomus Hom. 29. post. ad Cor. de osculo sancto.

Per has IANVAS & PORTAS ingressus est, & ingreditur Christus, quando communicamus. Scitis, qui mysteriorum estis participes, quid dicatur. Etenim non vulgariter honorem consequutum est OS nostrum, accipiens corpus Dominicum. Audiant, qui FOEDA LOQUVNATVR, ET CONVICIA, ET HORREANT, QVOD TALE OS POLLVANT.

### Idem Hom. 27. Prioris ad Cor. contra ebrietatem.

Hoc facis, cum ad mensam Domini accubueris, illa ipsa die, qua dignus habitus es, CARNEM EIVS LIN-

*De Theod. Bezae, aduersus*

**G V A** attingere. Ne igitur hæc siant, purifica **D E X T E R A M** tuam, **L I N G V A M** tuam, **L A B I A** tua, quæ facta sunt **V E S T I B U L V M**, per quod aditum ad nos facit Christus.

*Idem Hom. 61. in Matthæum.*

Parentes quidem sæpè alijs filios alendos tradunt, ego autem non ita: sed carnisbus meis vos alo, me ipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens.

*Et paulò pōsc.*

Volui frater vester esse, carnem propter vos & sanguinem assumpli, vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, **P E R Q V A M** cognatus vester factus sum, trado.

*Leo sermone 6. de ieiunio.*

Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut **N I H I L P R O R S V S** de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis. Hoc enim **O R E** sumitur, quod fide creditur. Et frustra ab illis Amen respondetur, à quibus **C O N T R A** id, quod dicitur, disputatur.

*Beda ex Augustino in Caput 1. Ioannis.*

Corpus & sanguis Christi, iacti non infidelium manus, ad perniciem ipsorum, funditur, & occiditur, sed fideliūm **O R E** suam sumitur ad salutem.

*Gregorius Hom. Pasch. 22.*

Quid sit sanguis Agni, iam non audiendo, sed **B I B E N D O** didicistis, qui super vtrumq; postem ponitur, quando non solum **O R E** corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

*Tertul-*

**D. Pappum, libello, admonitio.**

13

### *Tertullianus de resurrectione.*

*Lertullianus de resurrectione.*  
C A R O corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima  
de Deo saginetur.

*Ambrofius ad Theod, Imperatorem.*

*Quibus oculis aspicies communis Domini templum?  
Quibus pedibus calcabis sanctum illius pavimentum? Quo-  
modo manus extenderes, de quibus adhuc sanguis stillat in-  
iustus? Quomodo huiusmodi M A N I B V S suscipes san-  
ctum Domini corpus? Qua temeritate O R E tuo pocu-  
lum preciosi sanguinis percipies, quando furore verborum  
tuorum tantus iniuste est sanguis effusus.*

*Cyrillus lib. 4. in Ioannem.*

*Cyrillus lib. 4. in Ioannem.*  
Si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo  
non vivemus, qui carnem illam & gustamus & mandu-  
camus?

Ex his itaq; satis apparet, qua fide atq; constantia, in ex-  
plicanda vera corporis & sanguinis Christi in Cœna præ-  
sentia, Beza versetur: & quām alieni à veritate sint, cūm Be-  
za, tum fanatici reliqui, qui prorsus sine pudore toti mundo  
persuadere conantur, nostrorum de sacra Cœna sententiis  
am, omnino cum vniuersa antiquitate pugnare.

## C A P V T II.

## *De verisimilibus.*

**V**erisimilia autem dico, rationes & argumenta, quæ probabilitatem aliquam & veri speciem, vel habent, vel certe habere videntur. Illa autem non sunt viuis generis, Initio enim ex philosophicis principijs, ineptus Theologus, B 3 absurdia

absurda quædam contra piam doctrinam, de persona Christi, & sacra eius Coena, colligit, vndicq; conquisita, varie amplificat, vt cum inquit: Omne corpus est in loco, omne corpus est quantum, dimensum, circumscripsum, finitum, visibile, palpabile. Item, quæ alicuius rei sunt propria in quarto modo, alteri communicari non posse: Idem subiectum non posse simul esse finitum, & infinitum, circumscripsum & in circumscripsum, visibile & inuisibile. Et cum animaduertat, non esse, nec à veteribus dici, repugnantia, nisi quoq; secundum idem: vt inter tot absurdâ etiam ipse absurdus sit, magis straliter interpretatur. Quid est autem secundum idem, aliud (ait) quâm quod dicimus, in eodem subiecto? Rem acutissimum philosophum dixeris.

**Pag. 68.** Quia vero miser Prophetarum & Apostolorum testimonijs destituitur, Aristotelem, Apostoli loco nobis producit testem, vt ipse quidem ait, in his rebus maxime idoneum. Et ut similes haberent labra lactucas, Lucretium, poemam Ethnicum, adiungit Prophetæ vice, quem plane impia fuisse, ne ipse quidem negare audet: dignum profecto pastella operculū. Hæc scilicet Theologia illa est, hic aries, hoc fundamentum, hæc arma ipsius, hæc machinæ quas adhibet, quibus nostra, non oppugnasse tantum & concussisse fortis, sed & expugnasse omnino atq; funditus dudum eueruisse, videri apud suos hactenus voluit.

**Ibid.** Mirum autem, mirum (inquam) per Bezae fidem & candorem, nisi ille tādem proprij etiam obliuiscatur nomis nis, vt. qui ex professo hoc ipsum nunc agat, cuius alias ne suspectus quidē haberi velit. Nuper. n. indignabundus Sel., „ neccero dixit: Ego' ne (sicut olim ille) Ego' ne Dei sapientiā „ hominum stultitiae subiecerim: Respondeo: Tu dixisti. Et „ in Nathanaele: Desinat tādem (ait) nos impietatis accusare, quasi

quasi Dei omnipotentiam negemus, A V T ex humanæ „  
Philosophiæ regulis de isto mysterio iudicemus. Atqui po-  
tius ipse destinat, id quod modo quantum, quantum potest,  
impudenter negat, omni conatu mox & totis viribus agere.

Adeo ne verò rerū omnium ipsum cepit obliuio, vt in  
mente amplius venire ei nō possit, quid scripserit, ante ali-  
quot annos, de modo præsentiae, tam signorū, id est, panis &  
vini in sacra Cœna, quām rerū ipsarū, id est, corporis & san-  
guinis Christi? Cū inquit: Ad modū quod attinet, quo sym- „ De modo præ-  
bola nobiscū communicantur, physicū eū esse scimus: nam “ sentia corpo-  
physice, visibilia illa & palpabilia sumimus. Quod autē ad “ ris & sanguini-  
modum rei, id est, corporis & sanguinis, attinet, non physicū “ nis Christi in  
eum esse dicimus, sed spiritualem, qui innatur via incom- “ Cœna Bezae &  
prehensibili. Hactenus illi. Farello suprà  
dicta Confes-  
sio.

Ponamus ergo Bezam esse Nathanaelem, id est, virum  
bonū, qui sine dolo nobiscū agat, & cuius calamus candidē  
& simpliciter scripserit: quid ergo, fatetur modum præsen-  
tiæ rei, id est, corporis & sanguinis Christi in Cœna, nō esse  
physicū, & tamen illū ad modum, & rationes physicas exigit,  
& dījudicat. Fatetur modū illum nitī via incomprehensibi-  
li, & tamen ita sibi omnia ad oculum explicari & demōstra-  
ri petit, vt non videre tantū, sed & manibus cōprehendere  
atq; palpare possit. Crassum profectō Theologum, qui hoc  
vnū tantum didicit, hoc vnum solum hactenus in Theolo-  
gia profecit, quod symboli loco, ipsi etiam esse credo, scilicet,  
manus nostræ oculatae sunt, credunt quod vident. Sed cū  
Sisyphi artes profiteatur ille, paratum, opinor, habebit effu-  
gium. Ideo ad rem ipsam accedo.

Philosophiæ certe sua debetur laus & commēdatio, sed  
non regnum, non imperium, quod & Beza ipse alibi nō ins-  
ficiatus est, cū scripsit, nō damnandā Philosophiā, quatenus “  
intra suos fines maneat, & verbo Dei regi se sinat. Quando “  
ergo

## 16 De Theod. Bezæ aduersus

ergo fines suos transgressa, dominium affectat, quæ seruite debet, meritò audit: Ne ultra crepidam. Si magisterium exercere in superiores conetur, cui ancillæ partes demandatae sunt, atq; despectam habere dominam (Theologiam) *Gen. 16. & 21.* cœperit, nos illud, usurpabimus: Eiже ancillam. Itaq; omnibus istis Paulinum illud opponimus: Stultitia Dei sapientior est, quam homines. Et infirmitas Dei, validior est, quam homines. Item illud: Fides vestra non sit in sapientia hoz minum sed in virtute Dei. Et hoc: Sapientia huius Mundi stultitia est apud Deum. Et oramus simul Bezam, ut si sana cōsilia admittere possit, meminerit eius, quod olim in Chrysostomo desiderare se dixit: Utinam (ait ille) ubiq; simplificari studere maluisset, quam philosophica dogmata per miscere. Utinam vero & ille, simplicitati verborum cœnæ, vel adhuc studere maller, quam philosophica dogmata cum his inepte permiscere atq; confundere. Quia in re & Paulū, & eruditam antiquitatem duces habiturus est. Etenim Paulus serio hortatur nos, Videte, inquit, ne quis vos decipiat tuber captiuam ducere omnem etiam cogitationem (ut Beza vertit) vel omnem intellectum nostrum in obsequium Christi. Pia autem vetustas, sic de hoc tanto mysterio scripsit.

*Athanasius libro de salutari aduentu  
Christi.*

*STOLIDI* sunt, qui carnis Christi DIMENSIO<sup>N</sup>EM conantur facere, & QVANTVM & QVOMODO præter scripturas definiunt.

*Cyprianus de Cœna Domini.  
Inter coniuias Dominicæ mensæ, ANIMALIS HOMO*

HOMO NON RECIPIT VR. Quicquid CARO &  
SANGVIS dictat, ab hoc cœtu EXCLVDT VR. Nihil  
sapit, nihil prodest, quicquid HVMANA SVB TILITAS  
molitur. Omne, quicquid à suis rationibus deuium videtur,  
SAPIENTES huius seculi ad DEMENTIAM referunt,  
& à veritate reputant alienum, sed VERITAS ab ERO<sup>S</sup>  
NEIS hominibus comprehendendi non potest. Et cum in  
sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est,  
non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippis  
tudo adhæsit.

*Chrysostomus Hom. 83. in Matthæum.*

Credamus vbiq<sup>e</sup> Deo, neq<sup>e</sup> contradicamus ei, etiam si  
sensi & cogitationi nostræ videatur absurdum esse, quod  
dicit, superet q<sup>e</sup> & sensum & rationem nostram verbū ipsius  
us: quod in omnibus & præcipue in MYSTERIIS facias  
mus, non illa solummodo, quæ præ oculis posita sunt, aspi-  
cientes, sed V E R B A quoq<sup>e</sup> eius tenentes. Nam verbis eius  
defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu faci-  
limus est. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum,  
nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intel-  
lectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum no-  
bis a Christo, sed rebus sensibilibus. Omnia vero, quæ tra-  
didit, insensibilia sunt.

*Cyrillus in Ioannem lib. 4. Cap. 13.*

ANIMVS ARROGANS & MALIGNVS, quæ-  
cumq<sup>e</sup> captum eius superant, tanquam friuola & falsa mox  
rejicit. Oportuisset sane eos, qui diuinā Saluatoris potestatē  
tot miraculis perceperant, eius sermoni credere: et si quæ dif-  
ficilia videbantur, humiliter inquirere, & eorum elucidatio-  
nem petere. At contra de Deo non sine magna impietate

C

cons

conclamant, quomodo potest hic nobis carnem suam dare?  
 Nec in mentem venit: nihil esse impossibile apud Deum.  
 Sed nos, quæso, magnum ex aliorum peccatis profectum  
 faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam  
 in tam sublimibus rebus illud (QVOMODO) aut cogite-  
 mus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & ex-  
 tremi supplicij causa. Aliorum igitur culpa perdocti, non  
 quæramus (QVOMODO) sed operis sui viam & scientis-  
 am, illi soli concedamus. Nam quemadmodum, quamvis  
 nullus nouit, quid nam secundum naturam sit Deus, iustis-  
 ficatur tamē per fidem: sic, et si operum eius rationem igno-  
 ret, si certa tamen fide omnia illum posse non dubitet, non  
 contemnenda huius PROBITATIS præmia conseque-  
 tur. Qui enim sapientia & virtute adeo excellit, quomodo  
 non operabitur ita miraculose, ut operum eius ratio nostrā  
 mentem effugiat? Non ne vides humano etiam ingenio &  
 industria facta, sapenumero captum nostrum superare:  
 quomodo igitur extremo supplicio non erunt digni, qui re-  
 rum omnium opificem Deum, ita contemnunt, vt (QVOS-  
 MODO) in operibus eius dicere audeant, quem totius sapi-  
 entiae largitorem non ignorant, quem etiam omnia posse,  
 nos ipsa Scriptura docet?

*Augustinus Epistola 3.*

Virtus diuina per inuiolatę matris virginea viscera,  
 membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia iuue-  
 nis introduxit. Hic, si ratio quæritur, non erit mirabile. Si  
 exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum alii  
 quid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In tas-  
 libus rebus TOTA FACTI RATIO, est potentia fa-  
 cientis.

Idem

*Idem ibidem.*

Ideo illud a quibusdam non creditur, quia nemo fecit.  
At per hoc, quae sibi quisq; facilia, non factu, sed captu, pu-  
tat, aequo animo accipit : quae vero supra ea sunt, velut si  
cta pro falsis dicit.

*Idem alibi.*

Ille hoc facit, cui nihil est impossibile, qui de suo corpo-  
re facit, quod voluit. Considera A V T H O R E M , & tolle  
D Y B I T A T I O N E M .

*Idem Sermone 147.*

Credamus hoc fratres, et si argumenta Philosophorum  
difficile soluimus, illud tamen, quod demonstratum est, in  
Domino sine difficultate teneamus. GARRIANT ILLI,  
N O S C R E D A M V S .

*Idem libro 12. Cap. 17. de ciuitate Dei.*

Impias argumentationes, si ratio refutare non posset, si-  
des irridere deberet.

*Augustinus Epistola 119.*

Dicis igitur mihi, si super aquas firmis gressibus ambu-  
lauit, ubi est corporis pondus? Respondeo: Si per ostia clau-  
sa intravit, ubi est corporis modus? recedant paulisper  
modus & pondus, ille haec fecit, cui nihil est impossibile.

*Augustinus Sermone 12. de verbis*

*Apostoli.*

Petrus ad Christum inquit: Scio quod corpus huma-  
num naturae legibus non sinitur in fluctibus liquidis sis-  
ta habere vestigia, sed accedat donum gratiae, & paululum  
cesset ista lex naturae, si tu es, iube me ad te venire.

*Hilarius lib. 3. de Trinitate.*

Quæro, per quas clausæ domus partes se corporeus intulerit? An constructa parietum penetrans, solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namqe corporeus, non simulatus aut fallax: integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peravia. Nihil cedit ex solido, neqe per naturam suam, tanquam lapsu insensibili, ligna & lapides admittunt. Neqe corpus Domini à se deficit, vt sese resumat ex nihilo: & vnde est, qui assistit in medio? C E D I T A D H A E C ET S E N S V S E T S E R M O, & extra rationem humanam est veritas facti. Dicamus ne ergo factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus? Noli negare, quod clausa domo in medio discipulorum steterit, eò, quod per intelligentiae infirmitatem consistentis non consequaris introitum.

*In Quest. que Iustino tribuuntur.*

Quæ in humana natura Christi per diuinam potentiam, ultra, & præter naturam fiunt, de illis impossibile est, secundum naturæ conditionem, rationem reddere posse.

*Cyrillus lib. 4. in Ioannem.*

Si solo tactu suo, corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui C A R N E M I L L A M & G V S T A M V S & M A N D V C A M V S? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis Iudaice, Quomodo querere: sed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior sit, aduentu tamen ignis, frigiditatis suæ oblita, æstuat.

Cyril.

*Cyrillus in Ioannem lib. 12. Cap. 53.*

Christus omnipotentia sua rerum natura superata, clausis foribus cum corpore ingressus est. Nullus ergo querat: quomodo clausis ianuis, corpus Domini penetrarit, cum intelligat, non de H O M I N E N V D O , vt nos sumus, sed de omnipotenti filio Dei haec scribi. Nam cum Deus verus sit, rerum naturæ non subiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Ita super mare, quasi super aridam, ambulauit. Quod si hanc operationem Christi percipere nequeas, cur non potius ingenij humani imbecillitatem accusas?

*Chrysostomus.*

Sed quomodo clausis ostijs intrauerunt ossa & caro? clausa sunt ostia, & intrat, quem intrantem non videmus: unde igitur intravit? Omnia clausa sunt, locus non est, per quem intret, & tamen intus est, qui intravit. Si nescis, quomodo factum sit, des hoc potentiae Dei.

*Idem.*

Est quod nos quoq; cum Thoma dubitemus, nisi respiciamus A V T H O R E M : sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus, cui nihil iniurium confitemur, cuius hoc idem corpus clausis ostijs in ipsa statim salutatione, conspiciuum spectabatur discipulis. Haec si indubia fide credamus, ab omni questionis scrupulo liberamur.

*Chrysostomus Tom. 1. fol. 198.*

Non sunt humanæ virtutis haec opera, quæ tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit: nos ministrorum ordinem tenemus. Haec enim illa, non alia mensa est, haec nulla re minor quam illa est. Non enim ille Christus, hanc homo quispiam facit, sed utramq; ipse.

C 3

*Idem*

*Idem Hom. de proditione Iude.*

Nunc ille præstò est Christus, qui illam mensam ornavit, iste hanc quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini, corpus Christi facit & sanguinem, sed ille, qui crucifixus pro nobis est, Christus.

*Hugo.*

Cum quid miraris, & dixerit tibi forte cogitatio tua, quomodo hoc esse possit? Cogita facientem, & desinet esse mirabile: vel saltem incredibile non erit: & si factor omniz potens cogitetur, non erit impossibile, quicquid erit.

*Hieronymus Homilia de corpor. & sanguine Christi, Tom. 4.*

Ad cognoscendum & percipiendum sacrificium veri dominici corporis, ipsa te roboret potentia consecratoris.

*Idem ibidem.*

Recedat omne infidelitatis ambiguū, quandoquidem qui author est muneris, ipse est etiam testis veritatis.

*Idem ibidem.*

Require, quid ei possit esse difficile, cui facile fuit, hominem de limi materia formare, imaginem etiam diuinitatis induere, cui promptum est, rursus reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine angelum facere.

*Ambrosius lib. 1. de ijs, qui mysterijs initiantur, Cap. 9.*

Quid h̄c queris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine.

*Idem*

*Idem lib. 4. de Sacrament. Cap. 4.*

Sermone Christi facta sunt omnia, iussit Dominus, & factum est cœlum, iussit Dominus, & facta est terra, iussit Dominus, & facta sunt maria, iussit Dominus, & generata est omnis creatura. Vides ergo, quām operatorius sit sermo Christi.

*Idem lib. 4. Cap. 5.*

Ipse Dominus Iesu testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

*Theophylactus in Cap. 6. Ioannis.*

Iudæi verbum incredulitatis dicunt: Quomodo. Nam quādo cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur simul etiam: Quomodo.

*Idem ibidem.*

Oportet igitur nos in sumptionibus diuinorum mysteriorum indubitatam retinere fidem, & non quererere: Quo pacto. Nam animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales, non est capax eorum, quæ sunt supra naturam, & spiritualium.

*Damasenus libro 4. de fide Orthodoxa.*

Verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens; modulus autem est inscrutabilis.

*Pachacius lib. de corpore & sanguine Domini, Cap. 45.*

Cæterum secundum præmissam doctrinæ veritatem, nihil aliud, quām caro Christi & sanguis, iure creditur, quæ non sapore carnis, sed spirituali dulcedine degustantur, & fidei ratione intelliguntur.

*Idem*

*Idem Cap. 6.*

Quicquid vult, ita fit, vt vult, & in nullo fallitur, quia  
In sapientia sua omnia vult. Imo ipsa sapientia voluntas  
eius est, & propterea nihil mali, nihil quod non possit,  
vult.

*Et rursus Cap. 13.*

Ipse Dominus clamat: Hoc est corpus meum. Ne igis-  
tur mireris, o homo, nec requiras naturae ordinem. Si vere  
credis, carnem illam de Maria virgine in utero sine semine,  
potestate Spiritus sancti, creatam, vt verbū caro fieret, vere  
crede & hoc, quod conficitur in verbo Christi per S. san-  
ctum, corpus ipsius esse ex virgine. Vbi si rationem queris,  
quis explicare poterit, aut verbis comprehendere? Imo sci-  
as, quæso, quia ratio in virtute Christi est, scientia in fide,  
causa in potestate, effectus in voluntate, quod potentia di-  
uinitatis contra naturam, ultra nostræ rationis capacitatem  
operatur. Idcirco habeatur scientia in doctrina salutis, te-  
neatur fides in mysterio veritatis, quoniam in his omnibus  
per fidem ambulamus & non per speciem.

Sed & Thomam tuum audi, qui lib. de Sacramen-  
to Eucharist. cap. 3. sic scribit: Corpus Christi non est sub ho-  
stia naturaliter, sed sacramentaliter, & ideo non est ibi, vt lo-  
catum in loco, nec sub dimensionibus proprijs.

*Idem.*

Verum corpus Christi & sanguinem in hoc Sacra-  
mento esse, sensu deprehendi non potest, sed sola fide, qua  
authoritati diuinæ innititur. Sic illi.

Horum vestigij, non Philosophorum, aut Poetarum  
impiorum, insistat Beza, tum liquidò apparebit, absurdum in  
vniuerso

vniuerso hoc negotio nihil omnino esse, nisi quod absurdus  
hactenus ille fuerit.

Secundi generis argumenta contra sanam doctrinam,  
ex quibusdam Scripturæ phrasibus (cum quisbus in speciem  
pugnare illa videtur) & ex fidei aliquot articulis (non recte  
explicatis) desumpta sunt. Ut, cum dicit: Christus ascen-  
dit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, illa, inquit, de physi-  
ca loci mutatione, neq; aliter accipi aut intelligi possunt. Sic,  
cum ait: Christum abiisse ad Patrem, reliquise Mundum,  
venturum ad iudicandum viuos & mortuos.

En tibi Scripturas, en fidei analogiam, ecce Theologum.  
Et, ne caput sine cerebro esse iudicaremus, acute colligit in  
hunc modum: Atqui nemo est in eo loco, quem reliquit: «  
πάθος. O diutinum ingenium. Item, nemo est in eo loco, «  
in quem venturus demum dicitur: ænigmata, quæ alioqui  
neq; Thebanus Oedipus, neque Apollo Delphicus nobis  
edisserat. O acumen hominis, exquisitum iudicium: Nunc  
verò cedant Plato & Aristoteles. Nunc tandem procul re-  
cedant Philosophi omnes, atq; Poëtae, adeo scilicet Theolo-  
gus, Theologus, inquam, qui præter Scripturas & fidei ar-  
ticulos nihil, Theogustanta eruditione inflatus, ut in ipso  
nemo scientiæ vel plusculum, nisi immoritissim'e desiderare  
possit, nisi dicas forte inter cæcos regnare strabum, sed ad  
rem.

Certe, si Beza hic, Scripturæ & fidei testimonijs his  
irretitus, teneretur, dignus videri poterat ista opera, vt expli-  
carentur illa paulo planius. Sed aurum subæratum istud est,  
pigmentum est, Megarensum hæ sunt, vel Crocodili potius  
lachrymæ, hoc est, vanissimus Cinglianæ vanitatis præ-  
textus. Neq; enim vel Beza iste, vel Cinglianorum quis-  
quam tantu fidei aut honoris Christo habet, & verbis eius,

ut verè credat, vel in prima coena (vbi nihil horum refro-  
rabatur) Christum corpus & sanguinem suum discipulis  
distribuisse, tanta est animi ipsorum pietas atq[ue] religio. Quod  
ne affingere, præter meritum, ipsis videar, ipsorum verba  
subijciam.

Iosias Simlerus Theologus Tigurinus, contra se-  
cundam disputationem D. Andreae  
Musculi.

Et falsum est, (inquit) quod Musculus afferit, ad ver-  
borum pronunciationem, in prima coena statim adfuisse  
corpus & sanguinem Domini. Hæc ille, Imo vero, hoc fal-  
sum est Simlere, quod dicitis, vos articulis, nescio quibus, si-  
dei nostræ prohiberi, quo minus verbis institutionis, vt simo-  
pliciter sonant, subscribere possitis.

Pag. 246.

Multò autem maiori impietate, vt & alia, Beza, Libel-  
lo enim contra Brentium ea de re sic scripsit: Quòd autem a  
nobis Catechumenis, vt benigius Praceptor petis, vt sal-  
tem credamus, quod Apostoli adhuc imbecilliores credi-  
derunt, Christi videlicet corpus, quod ipsis certo loco vide-  
bant, secum accumbere, inuisibiliter tamen adesse, & sume-  
tibus singulis dispensari. Respondemus: tunc nos crediti-  
ros, cum Apostolos corpus Christi Chimæram esse, credi-  
disse, ex vlo vel ipsorum, vel orthodoxorum Patrum testi-  
monio probaueris. Sic ille.

Quid ergo istæ nugæ? Quid figmenta illa & petizo-  
mata ficalnea? Hic scilicet est eandor vester, hæc fides, ista  
& impie etiam abuti? An non hoc est verbo Dei petulanter  
atem istam rationem reddituros cogitatis? An ne illud vul-  
potius

Psal. 93.

# D.Pappum, libello, admonitio.

27

potius istud considerate: Intelligite insipientes de populo, &c Ibidem,  
stulti aliquando sapite. Et illud: Irritauit impius Dominum, Psal. 9.  
Dixit enim in corde suo, non requiret. Et: Nolite errare, Gal. 6.  
Deus non irridetur.

Ex his vero, cum luce meridiana clarius sit, Beza non  
fidei articulis, aut ullis Scripturæ testimonij constrictum,  
sed Physica doctrina (in qua perpetuo oberrat) & humanæ  
rationis iudicio excæcatum, si maxim'e de prioribus illis ab-  
und'e satisficeret ipsis, veram corporis & sanguinis Christi, cu  
pane & vino præsentiam, ne aquam crediturum, multo  
minus, quam corpus Christi Chimæram esse, mortuo verba  
fecero, & plane sine fructu diutius hisce immorabor. Itaque  
quæ Lutherus & Brentius ante annos quinquaginta &  
amplius, cum forte Beza neq; literas nosset, neq; natare, ea  
de re scripserunt, hic repetita volo.

Sic autem Lutherus Tomo. Germ. Teneri 3.

fol. 453. facie 2.

Deinde nefio negare potest, Christum primam coenam  
nat celebasse, cum in Mundo adhuc esset, antequam abi-  
ret ad Patrem. Dicat ergo mihi aliquis, quomodo spiritus  
ille hoc serio dicere possit, dicta illa, quæ de abitu Christi  
ad Patrem loquuntur, repugnare verbis coenæ? Cum fateri  
cogatur, nihil horum tum impletum fuisse, neque Christus  
suprà in coelo federet. Si Christus post ascensionem, de coenam  
lo coenam instituisset, suuermi isti prætextum aliquem  
haberent. Iam vero perinde agit Christus, ac si diceret:  
Venturi sunt fanatici, & dicturi, coenam meam con-  
trarii testimonij Scripturæ, quæ dicant de me, quod ad  
Patrem abeam, nec amplius sim in Mundo: ideo præueniā  
illos, & coenam meam instituat, dum adhuc in Mundo

D 2 sum,

suum, & super terram, ut prius quam credidissent, aperte manifestes, in proprijs suis verbis deprehendantur, & vos, filii mei, in vera fide confortemini. Atqui hic quomodo consistunt? Cogentur relinquere omnia ista dicta, de quibus haec tenuis temerè gloriati sunt, & tanquam **M A N I F E S T E M E N D A C E S**, fateri, quod illa dicta, quia Christus nondum in cœlo erat, cum cœnam celebraret, reuera illos non mouerint, ut negarent, corpus Christi præsens esse in Cœna, sed à **DIABOLO D E C E P T I S V N T**, cum persuaderent sibi, se videre, quæ non videbant. Ista enim dicta, planè nihil ad rem faciunt, sit ne, vel minus, corpus Christi in Cœna, multo minus, quam ista: Christus natus est in Bethlehem. Et: Christus fugit in Ægyptum.

*Et paulò post.*

Quod si dicerent: etiam si prima Cœna, & ista testimonia, quæ produximus, non pugnant inter se: tamen pugnat cum reliquis Cœnis, post ascensionem. Respondeo: Hoc ego iam non euro, nunc mihi sufficit, obtinuisse, primam Cœnam non pugnare cum dictis illis de ascensione: & quod spiritus ille manifeste errarit: si enim hoc habeam, dicta de ascensione Christi, neminem posse mouere, ut neget primam cœnam, sicut nos eam intelligimus, facile etiam reliquas Cœnas obtinebimus. Quis enim credit fanaticis, ipsos Scripturæ testimonij serio moueri, contra Cœnas post ascensionem, cum conuicti iam sint, ipsos non motos, his dictis, contra cœnam ante ascensum. Si corpus Christi potest ascidere mensæ, & tamen esse in pane, potest etiam in cœlo, & vbi cunque vult, esse, & tamen simul etiam in pane esse. Mensæ enim vel vicinum esse, vel ab ea procul remotum, nullum adfert discrimen, in eo, ut simul sit in pane. Age, hoc est

# D.Pappum, libello, admonitio.

29

est in A P E R T O M E N D A C I O deprehendi, tamen non  
cedent, nec errorem fatebuntur, ut propter Deum, veritati  
darent gloriam.

Lutherus verme  
vates.

## Brentius Exegeti in Ioannem Cap. 6.

Sed qui tollunt corpus & sanguinem (Christi) de Cœna Dominica, videntur hoc articulo fidei, quo credimus, Christum ad cœlos ascendisse, niti, adeoq; vt putant, cogi, ne credant, sibi pane & vino distribui corpus & sanguinem Christi. Alio, inquiunt, vocat fides, quām ut credamus, corpus & sanguinem Christi in Cœna præsto adesse & distribui: Siquidem Iesus assumptus est in cœlum, & sic vespri, quemadmodum discipuli viderunt eum euntem in cœlum. Ita ne, o viri, licebit vobis impunē fidei nostræ SIMPLICITATI IMPONERE? An nos fungos existimatis, qui hos ASTVS non queamus deprehendere? Quæso enim, quando aut quo tempore, Christus hanc Cœnam cum discipulis habuit? An post ascensionem? At sic forte vestra ratio probationis speciem haberet. Nunc in propatulo est, eam Cœnam celebratam esse, ante passionē, resurrectionem, & ascensionem. Quid igitur mihi obueritis articulum fidei de ascensione? Nos, vt certò cognoscamus nostræ Cœnæ rationem, ad primam Christi institutionem prouocamus. Itaq; inquirimus, quid Christus in ea Cœna distribuerit, vt postea colligamus, quid Apostoli & ministri Euangelij, nobis per verbum Christi, in nostra Cœna distribuant. Iam, cum Christus Cœnæ tempore nondum visibiliter ad cœlos ascendisset, nunquam poterit, hoc ascensionis articulo, corpus eius ē Cœna tolli: Si enim dixeris: Christus ad cœlos ascendit, non potest corpus eius pane cœnæ distribui: inox ego queram: Quid igitur per panem Apostolis

D 3

suis

*De Theod. Beza, aduersus*

suis distribuit, cūm eo tempore nondum ad cœlos ascens  
disset? Respondebitur forte, signum dedisse, non corpus  
ipsum. Sed quis tunc ARTICVLVS FIDEI TE CO-  
GIT A SIMPLICITATE VERBORVM CHRIS-  
TI DISCEDERE? Cum nondum obuertere potes as-  
censionem? Aut certe affirmabis, Christum discipulis qui-  
dem corpus suum per panem dispensasse, nobis verò non  
itē dispensari, quando iam ad cœlos ascenderit. Quid audio?  
Nos igitur aliam coenam habemus, quam Christus instituit.  
Hactenus illi.

Videamus nunc, quomodo antiquitas ascensum Chris-  
ti intellexerit, & an ne illi (vt Cingliani & Beza falso glo-  
riantur) propter articulum hunc, veram corporis & sanguis  
Christi in coena præsentiam, negarint, ipsorum verbis  
explicabitus.

*Leo in Epistola ad Anastasium de Christo.*

Qui, licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem ta-  
men carne, quam sumpsit ex virginе, Sacramentum propi-  
tiationis exequitur.

*Cyrillus in Ioannem lib. 12. Cap. 32.*

In quatuor partes vestimenta (Christi) diuisa sunt, &  
tunica sola indiuisa remansit, quod mysticæ cuiusdam rei si-  
gnum esse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem  
reductæ, indumentum verbi, id est, carnem eius, impartibiz  
liter inter se partitæ sunt. In singulis enim partibiz transi-  
ens vnigenitus, & animam & corpus eorum per carnem  
suam sanctificans, impartibiliter atq; integrè in omnibus  
est, cum unus ubiq; sit, nullo modo diuisus.

*Chrysostomus de Sacerdotio lib. 3.*

O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sur-  
sum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus  
pers-

## D. Pappum, libello, admonitio. 31

pertractatur, ac seipsum tradit, volentibus ipsum accipere et amplecti. Fit autem id nullis præstigijs, sed apertis & circumspicientibus circumstantium oculis, quia scilicet, cum istis rebus, quæ videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Christi.

*Idem Hom. 24. 1. ad Cor. &c.*

Christus ascendit, non tantum ad hoc aspectabile cœlum, sed ad ipsum supremum thronum, eō enim corpus illud subuexit. Hoc ipsum corpus nobis dedit, & amplecti & manducare, quod magnæ charitatis est.

*Idem Hom. 2. ad Philosophum Antioch.*

Heliæ quidem, melotèn discipulo reliquit, filius autem Dei ascens̄, suam nobis carnem dimit̄. Elias quidem melotèn exutus, Christus autem, & nobis carnem suam reliquit, & ipsam habens, ascendit.

*Bernardus de Cœna Domini.*

Vnde hoc nobis, p̄issime Domine, ut nos vermiculi, reptantes super faciem terræ, nos, inquam, qui puluis & cini sumus, te præsentem habere mereamur, præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris, qui etiam unius horæ momento, ab ortu solis, usque ad occasum, ab Aquilone, usq; ad Austrum præst̄o es, omnibus, unus in multis, idem in diuersis locis.

*Oratio in Liturgijs veterum.*

Attende Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regnitui, & veni ad nos sanctificandos, qui suprà cum Patre sedes, & hic IN VISIBLEM versaris, & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & preciosum sanguinem.

*Augustinus*

*Augustinus in Senten. Prospere.*

Hoc est quod dicimus, & modis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & IN V I S I B I L I Domini nostri Iesu Christi, carne & sanguine.

*Ibidem.*

Nos in specie panis & vini, quam viderimus, res IN V I S I B I L E S, id est, carnem & sanguinem Christi, honoramus.

*Bernardus Ser. de Cœna Domini.*

Gratulare sponsa, &c. In terra sponsum habemus in Sacramento, in cœlo habitura es sine velamento, & hic & ibi V E R I T A S, sed hic P A L L I A T A, ibi manifestata. Hactenus illi.

Verum non in hunc finem producta ista sunt, quasi in horum autoritate, cardo rei vertatur. Etenim Scripturis agendum, & non hominum autoritate, & habent etiam illa sua incommoda. Sed ideo commemorare volui, ut liquidum euaderet, ascensum Christi in cœlum, & sessionē eius ad dexteram Patris, à puriori vetustate, non sic explicatam fuisse, vt inde vera præsentia corporis & sanguinis eius in Cœna destrueretur: sed utrumq; fieri posse, & reuera fieri, illos asseuerasse.

Tertiū generis Argumenta sunt, quibus Beza omnino sine aduersario, & nemine repugnante, plausibiliter declasmit: posse Christum etiam spiritualiter, per fidem, nobiscū coniungi, quod similitudine solis, exemplo etiam Christiā norum primitiā Ecclesiæ ex Actis, confirmat. At quis hoc negat? Quis contradicit? Aut quo cum pugnat? Nimis rem

aerem verberat, & cum laruis luctatur. Ad inanes ergo ille  
las laruras, laruratum istum Theologum, cum inanibus suis  
signis & symbolis, relegatum volumus, ut scilicet abeat, quo  
dignus est. Nos Cyrilli sententiam amplectimur, qui ait: *Cyrillus lib. 10.  
Non negamus, recta nos fide, charitateq[ue] syncera, Christo Cap. 13. in Io-*  
spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis ra-*annem,*  
tionem, **S E C V N D V M C A R N E M**, cum illo esse, id pro-  
fectio pernegamus, atq[ue] à Scripturis omnino alienum dicens  
mus, Quin Dei beneficio, Christo doctore, dudum didicis-  
mus, quomodo vnum cum ipso fieri & possimus & debea-  
mus, vt Beza Praeceptore planè nobis nihil opus sit.

Quæ pauca ex multis supersunt, non nuper modo na-  
ta, aut Beza demum authore in aciem producta, sed à plus  
ribus, pluribus nunc annis ad nauseam vscq[ue] repetita & in-  
culta, à nostris vero plus millies solide & perspicuè refu-  
tata sunt, vt mirum mihi videatur, ni Beza ipsum Arabi-  
cum tubicinem, horum pudeat: nec quid querat video, nisi  
vt contentiosum se esse omnibus cupiat innotescere.

Vnicū restare videtur, de **I M P I O R Y M** scilicet **M A N S**  
**D V C A T I O N E, D I S C E P T A T I O.** Verum quid de  
hac ipsa pluribus agere necesse est, cum ne dignos quidem  
& pios ad participationem corporis & sanguinis Christi in  
coena Beza admittat? Scripsit enim expresse, panem & vi-  
num esse visibilia *α&τίτυπα* corporis & sanguinis Christi,  
præbita in recordationem horum eorundem, vtpote in se, le  
ac re ipsa absentium, & quidem procul absentium. Si ergo  
cum quoquam ea de re Beza contenderit, perinde fecerit,  
atq[ue] si cum aduersario de bonis Pomponij alicuius in foro  
litiget, quem ex vniuersa sua substantia, nihil prorsus reli-  
quum fecisse constaret.

Tamen, ut quod agat, habeat, ad istud (si videtur) respō-  
 deat. Si omnino res significatæ, cum signis Sacramentali-  
 bus, V E R E coniunctæ sunt: quomodo qui signa accipit, nō  
 simul rem significatam V E R E coniunctam accipit? Dein  
 de si impius aliquis & incredulus, non accipit corpus & san-  
 guinem Domini in cœna, id fieri, opinor, vel offerentis cul-  
 pa, vel sumentis vitio: at qui in Christo offerente culpa nulla  
 hæret, liberante eum Beza ipso, his verbis: Fatemur enim  
 „ Sacra menta, tam dignis quam indignis integra præberi, ac  
 „ proinde siue dignæ, siue indignæ ad ea accedatur, tam signū,  
 „ quam res significatas, quibusvis accendentibus offerri. Nec  
 sumens in vitio esse dici potest, concedit enim Beza, fidem  
 nostram non esse causam præsentiae corporis Christi in cœ-  
 na. Etsi enim alibi scripsiterit: fidem res absentes, præsentes  
 facere: tamen, quæ hominis vertigo est, nunc non sine sto-  
 macho inquit: Neq; verò unquam, quisquam nostrū dixit,  
 veritatem Sacramentorum à fide accendentium pendere.  
 Cum itaq; nec in offerente, nec in accipiente culpa eius rei  
 esse possit, aut ego nihil video, aut in Beza vitium est, qui  
 quod dicit, non intelligit, nec recte monentem audit. Vi-  
 deamus autem, quid etiam de hac controversia purior anti-  
 quitas pronunciarit.

*Augustinus lib. 3. Cap. 14. contra Donatistas.*

Non interest, cum de Sacramenti integritate quaeritur,  
 & sanctitate, quali fide imbutus sit ille, qui Sacramentum  
 accipit. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad  
 Sacramenti questionem nihil interest.

*Idem contra eosdem lib. 5. Cap. 8.*

Qui accipit Sacramentum, non efficit, ut quia ipse ma-  
 lus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil ac-  
 ceperit.

## D. Pappum, libello, admonitio.

35

reperit. Corpus enim Domini nihilominus erat, illis etiam,  
qui indignè manducabant.

*Idem libro 2. Cap. 47. contra Petilianum.*

Mensa Domini vtricq; & Iudæ & Petro vna fuit, sed  
non vtricq; valuit ad vnum.

*Basilii Cap. ultimo, de Baptismo.*

Si, qui fratrem per cibum contristat, à charitate excidit:  
quid de eo iudicandum est, qui ociosè & inutiliter edere  
audet, corpus, & bibere sanguinem Domini?

*Chrysostomus Hom. 3. ad Ephes.*

Quomodo comparebit ante tribunal Christi, qui labijs  
& manibus immundis, ipsius ausit corpus attingere.

*Idem Hom. 61. ad Antioch.*

Sicut cibus cum sit nutritius, si à crudo sumatur, omnia  
corrumpt, & sit morbi causa: ita & tractanda ista my-  
steria.

*Origenes in Psalmum 37.*

Patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cum sanos  
cibos sumunt, sibi meti plisis inferentes exitium.

*Cyprianus Sermons de Lapsis.*

Apostolus contumacibus, & pertinacibus denunciat,  
dicens: Quicunq; ederit panem aut biberit sanguinem Do-  
mini, indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Spre-  
tis tamen his omnibus atq; contemptis, vis infertur corpori  
eius & sanguini, plus modo in Dominum manibus atq; ore  
delinquunt, quam cum Dominum negauerunt.

*Origenes Hom. 5. in diuersos.*

Quando sanctum illum cibum accipis, manducas & bis-  
bis corpus & sanguinem Domini, tunc Dñs sub tectū tuum

E a ingre-

ingreditur. Tu ergo humilians temet ipsum, imitare Centurionem hunc, & dico: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. VBI ENIM INDIGNE INGREDITVR, IBI AD IUDICIVM INGREDITVR ACCIPIENTI. Hactenus illi.

Arundineo igitur Scipioni hactenus innixus est Beza, neq; enim vel Philosophicus ipsius, vel Theologicus etiam funis quicquam attraxit, ut Isthmum perfodere voleuisse, merito dixeris.

## CAPVT III.

## Defalsis.

**F**alsa autem dico, non quidem omnia, quæ aliquo modo cum veritate pugnant, alia breuitatis gratia, totum ferè librum hūc contulerim: sed ea tantum, quæ ne speciem quidem veri, aut probabilitatis alicuius habent. Ex illorum numero in primis hoc est, quod passim asseuerat, se nunquā iniciatum, corpus Domini P R A E S E N S esse in coena. De monstratum enim iam antea est, scripsisse illum, panem & vinum coenæ, esse tantum visibilia signa, corporis & sans-  
**Pag. 124.** guinis Christi, in horum ipsorum recordationem præbita.  
**Pag. iii.** IN SESE VERO ET RE IPSA ABSENTIVM, & quidem PROCVL ABSENTIVM: Quod si hoc verum est, illud simpliciter falsum esse necesse est.

**Pag. 8. & II.** Deinde & hic dolus latet, quod pertinacissimè affirmat, Christum personam vocari, ratione Deitatis T A N S T V M. Item, SOLIVS Deitatis respectu. Etsi enim verum est,

est, Verbum ab æterno perfectissimam diuinitatis personā esse, sine humanitate: tamen, cum de persona Christi, redemptoris generis humani, loquimur, falsissimum est, quod sola diuinitas intelligatur. Nam persona Christi, post factā unio nē, durabus naturis constat & definitur, neq; alterius **T A N T V M**, sed **V T R I V S Q V E** ratione persona est, & dici debet. Necq; vero quicquam ipsum relevat, aut errorē mitigat, sed aggrauat potius, vocula (**P R O P R I E**) Etenim si impro priē se ita loquutum fuisse, & porro abstinere velle, diceret, **Pag. 7. & 11.** condonari deliranti error posset, nunc vero cū **P R O P R I E** ita loquendum esse stolidē contendat, meritō explodendus & exibilandus est.

Nec magis verūm istud est, quod somniat, **H V M A Z N I T A T E M** Christi, esse & dici **P E R S O N A M**, **I M P R O P R I E** tamen. Cum enim per se non subsistat, nec propriē nec impropriē, & nullo planē modo persona dici debet.

Et quid, quæso, sibi vult Beza? Nisi forte illud: Sus Mis nerum. Cum enim hactenus eruditorum nemo ita loqui ausus fuerit, Bezae supercilium, omnibus & antiquioribus & recentioribus, certam demum, de his tantis mysterijs **P R O P R I E** scilicet loquendi formulam, temere præscribit, ut verum appareat, quod vulgo dicitur: Aliorum Medicum sese profitetur, qui ipse metuceribus scatet.

Est & illud fallsum, quod dicit, assentiri se D. D. Pappo, **S A C R A M E N T A L I T E R & R E A L I T E R** NON esse **O P P O S I T A**. Si enim illud solum verum diceret, iam composita tota esset controversia. Sed fallsum & fictum id esse, ipse abunde docet, quod inquit, se nunquam inficiatum, corpus Domini præsens esse in cœna, verūm **S A C R A M E N T A L I T E R**, NON **R E A L I T E R**. An non haec sunt

sunt opposita; Ita cum ait, controuerti inter nos, tantum de  
præsentia modo: sese enim & suos, sacramentalem, nos ve-  
ro realem præsentiam statuere. Atqui mendacem (aiunt)  
oportet esse memorem.

Etsi autem, cum opposita esse negaret, de rima simili si-  
bi prospexit, qua elabi posset, astuta illa & fraudulenta vul-  
pecula: tamen, quid hoc est aliud, quam vna manu offerre,  
altera auferre, vna panem ostendere, altera lapidem occul-  
tare, & vt uno dicam verbo, verba dare, & piorum simplis  
citate petulanter abutiri?

Nec hoc verum est, quod nostros collusionis arguit  
cum Pontificijs, à quibus nostros tela arripere, & in ipsos tor-  
**Pag. 128.** quere, ait, cum potius communi consensu essent, & com-  
munibus armis oppugnandi. Sic ille. Ex suo autem inge-  
nitum, totum à Papistis mutuatus est? An non ab Aqui-  
nate arripuit telum, quod contra nos torquet, pagina 65. Et  
eius generis sexcenta alia passim obvia. Quin potius ipsorum  
furor Pontificijs arma ministrat contra nos hactenus. Te-  
stis sit argumentum decimum quintum, & alia tum hoc  
tum reliquis ipsorum libris innumera. Theses Ingolstadi-  
nae Pontificiae vbi denuò excusæ sunt? Non ne Vittem-  
bergæ, Sacramentariorum opera? Vbi tertio? Non ne Ge-  
nevæ? Beza, veritatis hoste, pro viribus negotium procu-  
rante & promouente? Quis in hac ipsa controuersia ad Pa-  
pistas prouocauit, eosq; totius causæ iudices constituit?  
Nonne Beza? Quid, quod quosdam Caluinistas non pu-  
det, impudentissimi apostatae, Caspari Frankij, scripta, in hoc  
negotio contra nos producere?

De Augustana Confessione, quæ hactenus aheneus  
murus, Pontificijs opposita fuit, quid Beza? Hoc nimurum:  
qua

## D.Pappum, libello, admonitio.

39

qua tandem fronte (inquit) audetis postulare, vt nullis con- Lib. aduersus  
ditionibus et libro subscribamus, de cuius interpretatione Selneccerum,  
adeo non inter vos constat, vt te, Andrea, iubeat tuus Hes<sup>s</sup>, Pag. 22.  
husius resipiscere: Vnigandus olim succenturiatus Hes-  
sus, eum ex Borussia Episcopatu, nuper pro blasphem-  
ia deiecerit. Te Illyricus, ille tuæ Ubiquitatis acerrimus  
assertor, tu vicissim Illyricum, ferre non potueris. Vix des-  
nic<sup>t</sup> vllum supersit eius Confessionis caput, de cuius expli-  
catione inter vos conueniat. Sic ille.

De Concordiae autem formula, quid tum ipse, tum res  
liqui fanatici, sentiant, dudum ostenderunt, & quidem ans-  
tea, quam librum integrum, vel viderint, vel perlegerint.  
Hoc scilicet est communis consensu, & communibus armis  
nobiscum Pontificios oppugnare, vel potius hoc est, festu-  
cam in fratri oculo videre, in suo autem trabem non ani-  
maduertere, immo hoc est suauiter nugari.

Præterea falsum est, quod affirmat, D. Paulum dicere,  
Pati<sup>r</sup> veteris Testamenti eundem potum bibisse, & eun<sup>r</sup> Pag. 123.  
dem cibum manducasse, A T Q V E N O S. Quod Apostol<sup>e</sup> & 124.  
lo (credo) in mentem non venit, nisi quod hisce quælibet,  
tanquam ex Tripode dicta, pronunciare licet. Etenim ex  
pre<sup>s</sup>e Apostolus inquit, Patres, Patres, eandem, non N O S,  
& Patres, aut N O S cum Patribus, eandem escam mandu-  
casse. Omnes (ait ille) omnes Patres, non Patres, atq<sup>z</sup> N O S  
O M N I E S. Quomodo alioquin conueniret, quod additur,  
cum scilicet Apostolus, illos (O M N I E S) diuidit in duas  
quasi cohortes, quod scilicet aliqui placuerint Domino, ple-  
riq<sup>z</sup> non placuerint, quosdam approbarit Dominus, quos-  
dam non approbarit, sed prostrati sint? Quod cum re ipsa  
omnino planum sit & perspicuum, neq<sup>z</sup> Bezzæ, neq<sup>z</sup> alio-  
rum inconveniente interpretatione nobis opus est.

Quin

Quin & illud falsum esse norunt, quotquot in lectione  
 Pag. 63. lucubrationum D. Lutheri, vel mediocriter versati sunt,  
 » quod Beza affirmat: COEPISSE D. Lutherum NON NI-  
 » HIL de ista ubiquitica præsentia differere, sed ita ut ex  
 » ABUNDANTI hoc faceret, & hanc quæstionem FA-  
 » CESSERE iuberet. Brentium vero illo oculatiorem, id  
 » VNV M coepisse vrgere, & cœlos ipsos potius, vt & inferos,  
 » ubiqꝫ constituere. Hæc Beza. Verum Beza, qui non nus-  
 per modo COEPIT nugari, etiam hoc ipsum nunc EX  
 ABUNDANTI loquitur. Utinam tandem vanitatem ille  
 suam F ACESSERE iuberet. Quid enim dicit: aut quid  
 scribit: satis ne sanum putabimus? Aut potius plusculum  
 hellebore cerebrum eius desiderare, dicemus. Hoc libro,

Pag. 143. (quod & alijs facit) saepius asseuerat: Brentium, viuo D.  
 Melanchthonem, mussitasse quidem interdū, istud omnima-  
 iestatis arcanum, nūtiquam vero, illo viuo, aperte effari au-  
 sum. Iam quasi Mandragoram biberit, Brentium hoc vni-  
 cum egisse, atqꝫ adeo ipso D. Lutherō, vrlisse vehementius,  
 fatetur. De calumnia vero, quam D. Lutherō impingere  
 nititur, plura dicam suo loco.

Hoc vero quid est: quod scribit, loco legitimæ Syno-

Pag. 149. di, rem apud nos vi geri: rem (inquā) apud nos VI G E R I.  
 Aut ego fallor, aut Beza mentitur splendide. Dicat enim  
 nobis, dicat, inquam, si potest, vbi nam locorum apud nos  
 res vi gesta sit: Age dicat nobis, homo leuisimus, quos nā,  
 quibus armis oppresserimus, loca proferat, exprimat nomi-  
 na, si potest, execranda ipsius vanitas: Nimirum Cingiani  
 candoris est, alios, cuius tu in primis reus sis, falso accusare.  
 Gallia enim, Gallia, inquam, vniuersa loquitur, vbi nam res  
 innocenter effusus, testis sit, apud vtros res vi gesta fuerit:  
 utinam

vtinam omnis ille sanguis, non inclamat eius (si modo vila ipsi est) conscientiam. In Belgio ne, an apud nos, res vi geratur, ex Hispano, si liber, discat, ipsi ne, an nostris id imputet, ex eodem, si placet, quærat. Quis rem vi gerere iubeat, & clasicum canat, Tribunitios illos, & vere seditiones Eusebios, qui publice extant, consulat. Dicat etiam nobis, quid illud sit, quod dudum de nostris scripsit, mirari se, qui tandem Germania ferre diutius monstra illa possit.

Propitius Deus, qui hactenus clementer nos protexit, auertat, ne ipsi pro arbitrio rem aduersus nos gerere vñquā possint, vel Tiresias videret, quid nam esset, rem vi gerere. Si enim de vita & capitibus nostris, Beza iudice, statuendū foret, charitatis zelo præoccupatus, sociorum vota dudum anteuerit, cum rerum capitalium supremus iudex, pro triibunalis sedens, ita contra quosdam pronunciauit: Si vere res sifificant (inquit Beza) quod sanē velim, quid illis fuerit accommodatius capitinis supplicio, &c. quo cauebitur, ne ad vomitum illi redeant.

Satis profectō dura, hominis Theologi, sententia, quod si mitiorem non experti sunt illi iudicem, quem non ita pridem habebant Praeceptorem atq; Collegā, quid nobis (Deus bone) sperandum fuerit, quos iam dudum monstra, portenta, doctrinam verò fermentum, & Sathanæ excrementū publicis scriptis pronunciauit: Iam puto, Bezam, vbinam Epistola 70. res vi geratur, satis intelligere.

Vniuersæ autem propè antiquitatis testimonio falsum Pag. 57. est, quod ait: Non aliter communicari proprietates diuinitatis humanitati, quam humanitatis Deitati. Item pari prorsus ratione, diuinis humana, atque humanis diuina tribui. Quid enim Deitas ab humanitate in Christo accessus Pag. 35. perit, vel quid hæc illi contulerit, Athanasius nos docet, & veterum plurimi.

*Athanasi Epistola ad Epilectum.*

Non enim verbum caro factum est, vt A L I Q V A  
**A C C E S S I O** fieret Deitati, neq; vt verbum in meliorem  
 statū reduceretur. Magis verò humanæ naturæ **M A G N A**  
 accessio facta.

*Idem de assumptione hominis.*

Necq; enim Deitas in homine assumpto **A V G M E N T Y M**, aut detrimentum vllum sustinuit.

*Leo Epistola 10.*

Natiuitas temporalis, illi diuinæ & sempiternæ natiuitati **N I H I L** minuit, **N I H I L** contulit.

*Idem Epistola 11.*

Natura Deitatis incommutabilis, nec damnum suare cipiens, nec **A V G M E N T Y M**.

Quin & Beza ipse libro contra Brentium inquit: Diuinitas verbicū carnem sibi vniret, **Q V A L I S E R A T,**  
**T A L I S P E R M A N S I T.**

Ex his ergo constat, humanam naturam **N I H I L** nec communicasse, nec communicare Deitati, quæ augmētum non recipiat, potuisse.

Si itaq; verum est, quod Beza fabulatur, non aliter communicare hanc illi, quam illam huic, & pari prorsus ratione communicationem inuicem tribui, nullam prorsus inter se mutuo communicationem naturarum esse, consequetur. Cum autem posterius id manifeste falso sit, illud prius, quæso, verum esse quî poterit?

**Pag. 23.**

Istud verò quale sit, aliorum esto iudicium, quod negat, Deum omnibus rebus creatis adesse Essentialiter, & sustentare res omnes Essentialiter, vel etiam subsistentialiter: **V I R T U T E** autem sua præsentem esse, & sustentare Deum res

**Pag. 298.**

creatæ, concedit. Sicut & libro contra Brentium, Deum res **vbiq;**

vbiqe esse concedo, ait, sed eius tamen, qui cœlum & terram replet, veluti thronum ac sedem in cœlis, cœlis (inquam) ille ex celissimis tota Scriptura collocat. Et eodem loco Ter<sup>t</sup>ullianum Brentio opponit, dicentem: Scimus Deum etiam intra abyssos esse, & vbiqe consistere: sed Vi & PotEs StATE. Nunquid igitur tandem & Deum ipsum coelo capi oportet? Ergo iam non hic controversiae status fuerit, an Christus secundum humanam suam naturam nobis præsens sit, sed an Deitas ipsa vel diuina natura, per Essentiam, vbiqe nobis adsit.

Quid ergo illud est, quod Dominus apud Ieremiam *Ierem. 23.*  
ait: Nunquid cœlum & terram **E GO** impleo, dicit Dominus: Quid illud? Quod Salomon ait: Si enim cœlum & coelum *1. Reg. 8.*  
li cœlorum te nō capiunt, quanto magis domus hæc, quam aedificauit tibi. Quid illud est: quod Dominus apud Esaiam *Esai. 66.*  
inquit: Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum, quæ est ista domus, quam aedificabitis mihi? Nunquid *Psag. 7. contra Beza*, qui de Christo in frusta secando (si modo liceat) quæ D. Papp.  
dam impiè nugatus est, iam etiam Deitatem in frusta dissecabit, vt pedes cum inferioribus partibus, terram & hæc inferiora, caput verò cū superioribus partibus, cœlum & superiora occupet. Nec immerito. Etenim, quum Theologus esse non possit, qui verbum Dei recte secare nescit, saltem Christum secare vult, vt vel lanij alicuius, aut carnificis vires impleteat. Quid illud (inquam) est: quod David de Deo *Psal. 138.*  
dicit: Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, Tu Ver illic es, si descendero in infernum, ades. Item illud, quid tandem est, quod DomiNus Est dicis, tur non longe ab unoquoqe nostrum, cum in IPSO *Ador. 17.*  
simus, viuamus & moueamur. Dicat nobis Theologus iste,

an virtus Dei qualitas quædam sit, & accidens in Deo. Et si id portentum dici debet inauditum, & monstrum in Ecclesia intolerabile, atq; Manichæorum delirium: monstrum & portentum intolerabile ipse Beza fuerit, qui alibi sic scripsit: Diuinam E S S E N T I A M non tantum filij, sed etiam Patris & Spiritus S. I P S A S Q V E adeò in vna illa singulissima Deitate, S V B S I T E N T E S P E R S O N A S, omnisi qui Deum infinitum esse insciabitur. Hæc Beza.

Ex his constat, Bezam è potestate exiisse, & furib; horribiliter agitari.

Sed factum benè, ne scilicet vanus vates Luthetus vi-

*Tom. 7ene. Ger-* deri queat. Nam ita scripsit: Obijcent illi: credimus sanè manico Ter. Dei potentiam ubiq; esse, verùm inde colligi non potest, quod diuinam suam Essentiam aut dexteram Dei, itidem ubiq; esse, oporteat.

His ego sic respondeo: Ego etiam firmiter credo, quod vos verè in intimo cordis vestri scrinio, nihil quicquā, neq; de Deo, neq; de eius diuina potentia sentiat, idq; pro certo affirmārim, nec mihi dubium est, quin omnia ista præclaradicta, quæ h̄c recitantur & tractantur, præterituri sitis, irrisorie & cum stomacho vociferantes, quid agamus? Tantum de grano & folijs narrat, scripturarū vero citat & producit nihil. Sic enim facere soletis, & postea de vestra patiēntia fabulari, aut de rebus non necessarijs nugari, atq; hæc est vestra scripturarum allegatio.

Nos vero certò scimus, quod Dei potentia, Dei brachia, Dei manus, Dei Essentia, Dei facies, Dei Spiritus, Dei sapientia, &c. idem sint. Nam extra creaturā nihil est, quam vñica purissima D E I T A S, & remoto omni dubio, Dei potentia, & dextera Dei ante creationem fuit ipsissima Dei essentia.

essentia, nec post creationem in aliud transmutata existit  
mari potest. Etenim Deus nihil creat, nisi per verbum suū. Gen. i, Ioan. i.  
Hoc verè est Dei potentia. Nec enim potentia Dei securis,  
serra, aut lima est, qua operetur, sed Deus ipse. Si autem  
potentia & spiritus eius vbiqe præstò est, & in omnibus re-  
bus, quām intime & extreme secundum omnes dimensio-  
nes quantitatis, quemadmodum esse oportet, si vbiqe omnia  
facere & sustentare debet, tum necesse est, ut eius diuina  
dextera, essentia & maiestas etiam vbiqe præstò sit, adesse,  
in quam, & non abesse eum oportet, si verè dicendum sit,  
quod omnia faciat & sustentet. Hactenus Lutherus. Sed  
quia asinus frustra sub freno currere, frustra saltare docetur,  
ad alia pergo.

Similiter falsum dicimus, quod negare videtur Beza, Pag. 19. 20. &  
eandem esse Dei in Christo, quo ad essentiam, quām in reliis alibi.  
quis creaturis omnibus, diuinitatis præsentiam, quæ vt in  
creaturis  $\epsilon\delta\pi\gamma\alpha$  discernitur, quod alia in alijs agat & opere-  
tur: Ita in Christum tota effunditur. Deum enim, essentia  
sua ex æquo rebus creatis omnibus adesse, si non nobis, Iu-  
stino tamen, Martyri aut Augustino suo credat, quorum il-  
le sic ait: Quæritur, quomodo verbum illud vbiqe sit, iuxta  
essentiam, & quomodo in proprio templo: Sienim sic &  
ibi, vt in vniuerso, templum nihil habebit præ cæteris: &  
quid faciemus illi Scripturæ: In quo habitat omnis plenitu-  
do diuinitatis corporaliter: Quod si quis concedet esse plus,  
ergo non adest rebus omnibus iuxta essentiam, quod est  
Dei proprium. Manifesto iudicio se prodit incredulitas,  
quando de Deo quærerit hac vice, quomodo: Alioqui quo-  
modo, quomodo terrā, quomodo mare, aërem, stirpes, ani-  
ma, cuncta, teque ipsum ista curiosè de Deo scrutantem,  
condidit: Utqe respondebis, absoluta potentia produxit esse  
omnia.

omnia. Nū igitur Dei potentia per accidens creaturis adfuit? an iuxta essentiā: si per accidens, certē vt existentibus antea quam crearentur: quoniam accidens suapte natura non per se est, sed in subiecto aliquo: id si risum meretur, reliquum est, vt iuxta essentiam adsit omnibus. Ergo quia iuxta essentiam vis illa creaturis aderat, nihil' ne plus habebat ipse Dominus, qui templum est: Nec hæc ratio, nec illa insuenit exitum, utramq; fides explicat.

Et paulo post. Quæritur, quomodo verbum illud, & in proprio templo sit iuxta essentiam, & in rebus omnibus similiter, & quid habebit hoc templum præ cæteris rebus? Audiamus Scripturam dicentem: Qui est in sinu Patris, iuxta essentiam vniuersis ex æquo adest. Nec dicimus eum sic in Patre esse, vt in rebus cæteris, non quod eius essentia contractior fiat in alijs, sed quia mensura harum ad captum diuinitatis non sufficit. Sic à proprio templo inseparabilem fatentes, in quo plenitudo Deitatis inhabitet, nihilominus eum rebus omnibus adesse iuxta essentiam dicimus, et si nō similiter. Nec enim capit Deitatis splendorem corpus solidum, id licet exemplo discere. Nec enim celabo huius quæstionis pondus filios Ecclesiæ, pie cum eis differens. Communis hic Sol nobis quotidie se præbet omnibus, nec magis minus ue irradiat alium, quām alium: sed in omnes ex æquo exercet vim suam, attamen si quis acutiore visu polleat, plus eius splendoris recipit, non quod sol magis in eum agat, quām in cæteros, sed propter vim oculorum existimat. At quisquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem cogita de Sole iustitiae, cum sit Deus, EX AEQVO IL V M A D E S S E O M N I B U S I V X T A S V A M E S S, SENTIAM: nos autem quotquot sumus, vt hebetes, & oculis

D. Pappum, libello, admonitio. 47

oculis squalentes præ peccatorum sordibus, ad percipiendū  
lumen non esse idoneos, templum vero illud propriū oculū  
lo purissimo splendorem T O T I V S L V M I N I S capere,  
ut pote formatum opera S. sancti, & à peccato prorsus esse  
alienissimum, Nam sicut sol quamuis sua vi attingat pariter  
omnia, tamen non ab omnibus similiter capit: Sic V E R S  
B V M illud iuxta essentiam præsens omnibus, non similiter  
adest cæteris, ut templo proprio. Hactenus Iustinus.

Ita & Augustinus Epistola quinquagesima septima  
inquit: Deus in seipso substantialiter ubiqꝫ totus est, quia  
nulli parti rerum absens est, ne illis quidem, qui ipsum non  
habent, id est, in quibus non habitat: & in quibus habitat,  
non æqualiter habitat. Licet enim totus illis sit præsens, nō  
tamen extoto illum capiunt, sed pro suæ capacitatis diuer-  
sitate, alij amplius, alij minus ipsum habent & capiunt. De  
capite vero nostro Christo, Apostolus ait: In ipso habitat to-  
ta plenitudo Deitatis corporaliter, hoc est, non umbratiliter,  
sicut in templis manu factis. Aut certe corporaliter dictum  
est, quia & in Christi corpore tanquam in templo, habitat  
Deus. Hoc vero interesse arbitramur, inter caput & mem-  
bra cætera, quod in quolibet, quamvis præcipuo membro,  
ut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamvis diui-  
nitas habitat, non tamen sicut in capite, quod est Christus,  
omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in nostro corpore in-  
est sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in cas-  
pice, vbi P R O R S U S O M N I S est. Sic Augustinus. Si ergo  
iur'e irasci sibi videtur Beza, non D. Iacobo Andreæ, sed  
Augustino & Iustino succenseat.

Plusculum vero scientiæ, vel pudoris certe, & nos in  
Beza eā ob causam, requirimus, quod ait, distinctionē visibi-  
lis & inuisibilis præsentie Christi, esse in Ecclesia Dei omni-  
bus

bus seculis inauditam. Bona verba quæso. Ostendam ergo  
ego, Bezan Geneuensem, nunc Cretensem factum, et non  
Galliae tantum, sed honestatis & verecundiae limites trans-  
scendisse.

*Augustinus in Sentent. Prosper.*

Nos in specie panis & vini, quam videmus, res **I N V I S I B I L E S**, id est, carnem & sanguinem Christi, honoras-  
mus.

*Ibidem.*

Hoc est quod dicimus, & modis omnibus approbare  
contendimus. Sacramentum hoc duobus confici, duobus  
constare, visibili Elementorum specie, & **I N V I S I B I L I**  
Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.

*Bernhardus de Cœna Domini.*

Gratulare sponsa, &c. In terra sponsum habes in Sa-  
cramento, in cœlo habitura es sine **V E L A M E N T O**, Et hic  
& ibi veritas, sed hic **P A L L I A T A**, ibi **M A N I F E S T A T A**.

*Oratio in Liturgijs veterum.*

Attende Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto  
tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad  
nos sanctificandos, qui suprà cum Patre sedes, & hic **I N S**  
**V I S I B I L I T E R** versaris, & dignare potenti manu tua  
impartiri nobis impollutum corpus tuum, & preciosum  
sanguinem.

Sed & D. Philippus, non concessit solum, verum &  
ipse ea usus est, libello, quo plurima antiquitatis testimonia  
collegit. Cum enim nonnulla in Augustino occurrerent,  
quæ si simpliciter acciperetur, duriora videri poterant, hanc  
commo-

D. Pappum, libello, admonitio. 49

commodam & necessariam distinctionem usurpauit. Ideo (inquit ille) loquitur Augustinus, de **V I S I B I L I** conuersatione Christi, sicut is, qui docet, videtur & auditur : & dicit, Christum **V I S I B I L I T E R** nobiscum non esse, sed eo modo nunc perpetuo in cœlo est. Verum de coena ne verbum quidem audis, loquitur enim tantum de **V I S I B I L I** conuersatione, quod sanè de coena Domini accipi vel intellegi non potest. Hactenus illi.

Apparet itaq; veritatem apud Bezzam in precio esse, cum ea, non nisi rarissimè, & tantum diebus festis vtatur.

Atqui ne sic quidem hominem elabí patiar. Sed ne ingratus sim : age dicat nobis. Dudum affirmauit, se se corporealem corporis & sanguinis Christi in coena perceptionem atq; præsentiam credere. Aut ergo visibilis illa sit necesse est, aut inuisibilis. Tertium enim nullum est. Verum visibilem non dicet, opinor, nisi iam ex metaphorico Theologo Capernaiticus, & ex Caluiniano Iudaizante, Iudeus prorsus factus sit: Ergo inuisibilis. Aut si hanc quoq; negat, quos modo quæso aderit, qui neq; visibiliter neque inuisibiliter aderit. Hoc itaq; obtinuit Beza, tantam ipsius esse vanitatem & impudentiam, ut maiorem in Ecclesia Dei omnibus seculis auditam vix existimetus.

Erroneum etiam, atq; adeò impium est, quod passim Pag. 40. pugnis calcibusq; propugnat, proprietates oppositas, vni & eidem subiecto **N V L L O M O D O** conuenire posse. Ego vero video, Beza cum veritate nullo modo conuenire, nisi forte & illa, quæ Scriptura etiam nobis tradit, **N V L L O M O D O** vera esse possint. Et si enim ignis proprietas sit vres Dan. 3. re, tamen ignis in fornace Nabuchodonosoris vrit quidem, & consumit ligna, stipulas, atq; etiam viros, qui pueros in fornacem miserant, sed eodem plane momento in Danielis

socios N I H I L potestatis habuisse scribitur , adeo ut ne cas  
pillus capitis eorum adustus , nec odor ignis per eos transierit.

Cum autem multo maior nobis sit sacrae Scripturæ,  
quam huius pseudophilosophi authoritas , nos quæuis illius  
obuijs vlnis acceptamus , & exosculamur , hunc vero yn'a  
cum Physica sua doctrina ad extremas Garamanthas , aut  
potius ad fornacem Nabuchodonosoris alegamus , vt tan  
dem , aliud esse naturam rerum , aliud rerum naturæ Domi  
num , discat , prius quam flamma ignis & ipsum interficiat .  
Sed ad aliud pergo .

*Germani  
Sigener  
vocant.*

*Pag. 57.*

*Matth. ii. & 18.  
Ioan. 13.*

Aberrat hoc nostro seculo , vagum genus hominum ,  
quod ex Aegypto nonnulli , alij aliunde prodijse scribunt .  
Hi præterquam quod ex rapinis vitam agunt , etiam hoc  
modo fami consulunt , quod veros rerum euentus obuijs  
quibuslibet explicant . Miserum certe genus hominum ,  
quanto autem fœlicior illis Beza est , quem Gallia nobis  
produxit . Etenim si vera dicendo victum querere (vt illi)  
cogeretur , iamdudum profecto fame pereundum ipsi fuis  
set , adeo cum veritate irreconcilabile illi bellum est . Eius  
rei & hoc sit specimen , quod scribit , proprietates Essentialia  
les alicuius naturæ , ex gratia posse donari , alteri alicui na  
turæ id esse P R O R S V S ἀδιώκων . Quam suauiter vero , in  
mendacijs deliciatur ille ? An non satis superçq; quantū chas  
ritas ipsi curæ sit , demonstrat ? Cum enim veritatem odiz  
um parere didicerit , vt omnibus charus esse possit , sedulo  
ab illa abstinet . Etenim omnipotentem esse , diuinæ naturæ  
Essentialis proprietas est , tamen Christus ipse de humana  
natura sua verba faciens (diuina enim nihil accepit) ait :  
Omnia mihi tradita à Patre : Et , data est mihi o M N I s po  
testas in cœlo & in terra : Et Ephes . i . Constituens ad dexter  
am suam in cœlestibus , super omnem principatum & po  
testatem

## D. Pappum, libello, admonitio. 51

testatem & virtutem & dominationem , & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius. Ne vero vlla tergiuersatio locum habere possit, veteris Ecclesiae interpretationem addam.

*Athanafius de Arriana & Catholica Confessione.*

H V M A N A infirma & mortalis C A R O atq; N A T V A R A, diuinam profecit in gloriam, Ita vt omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, quam, antequam à verbo assumetur, non habebat.

*Vigilius (Cinglianorum Anchora) libro 5.  
contra Eutychen.*

Diuina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis profectibus augeri, potestatem cœli & terræ obediens merito accipere. Secundum C A R N I S naturam exaltatus, honoratus, coronatus, melioris nominis dignitatem adeptus est, qui secundum naturam verbi horum nihil eguit aliquando, vt scilicet potestatem coeli & terræ, hæreditatem gentium, & subiectionem vniuersorum ex tempore acciperet.

*Leo Epistola 22.*

Dicant aduersarij veritatis, quomodo omnipotens Pater, vel secundum quam naturam filium suum super vniuersa prouixerit, vel cui substantię cūcta subiecerit. Deitatem enim semper per omnia fuerunt subiecta. Huic si addita potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente.

*Theodoreus in Psalmum secundum.*

Vt Deus, innatum habet imperium, vt H O M O dectes to accipit.

I T E M : Cum Dominus sit natura, vt Deus, etiam vt H O M O vniuersorum imperium accipit.

G :

Cyril.

Cyrillus.

Accipere igitur OMNIA, ipsi, ut HOMINI, attribuens  
dum est, quæ, ut Deus, naturaliter habet.

Ambrosius libro 6. de fide.

Secundum CARNEM omnia ei subiecta traduntur.  
*Idem.*

Vt HOMO igitur per gratiam accepit à Deitate, quæ  
ut Deus, naturaliter habet. Quare à se quoq; ipso, vt à Deo,  
ipse eam accipit, vt HOMO.

*Idem.*

Verbo non conuenit aduentitia gloria, nec imperium  
extrinsecus concessum, sed INCARNATO & habitanti  
inter nos, dicimus conuenire aduentitiam potentiam, sum-  
plisseq; videri regnum & dominium. Dominum enim &  
Christum factum esse à Deo & Patre, dicit Petrus, non ver-  
bum sed Iesum crucifixum. Sic illi.

Ex his itaq; manifestum est, essentiales proprietates  
Deitatis humanæ naturæ in Christo donari posse, nequa-  
quam esse impossibile, sed Beza non mentiri, id vero est  
prorsus αδωάνη.

Falsum quoque & ineptum etiam est, quod non so-  
lum negat, diuinitatem per humanitatem tanquam instru-  
mentum omnia perficere, sed quod asserit, humanitatem  
potius (per) diuinitatem agere, nisi malimus dicere, animā  
per oculum potius, quam oculum per animam videre. Et  
addit, priorem illam syncerorum Theologorum sententia-  
am esse Acyrologian intolerabilem: Sic ille. Ecquid vobis  
videtur de excellenti isto Physico? Age, quomodo placet  
noua isthac profundi huius Theologi philosophandi ratio?  
An non dignus videbitur, cui communibus suffragijs tri-  
umphum decernant omnes, quotquot orbis habet, Philoso-  
phi.

phi. Certè quocunq; se vertat Beza, ἀκυρόλογος fuerit. Si enim hoc vult, oculum per animam videre, hoc est, animam facultatem illam oculo suppeditare, qu' am inepte loquitur? Deinde nihil proorsus ad rem: de eo enim nunc non disputatur, sed id in controversia potius est, sit ne Diuinitas humanitatis, vel hæc illius organum & instrumentum. Præterea, si hæc est eius sententia, cui quæsto litem intendit? Cui loquitur? An non sine scopo iaculatur? Adeò enim nobis cum non pugnat, ut nostra confirmet. Hoc enim est, quod dicimus, non habere humanitatem illa, quæ ipsi tribuimus, ex sese, sed communicata esse à Deitate, cui personas liter unita sit. Si igitur hoc vult, animam non per oculum, sed oculum per animam, tanquam instrumentum, videre, Genevensis Physici curæ tradendum arbitror. Etenim, si nec ille ἀκυρόλογος hominis videat, illius neque oculus per animam, neque anima per oculum quicquam videt.

Multa lubens prætero, est enim & delirio eius cedendum aliquid, vnum tamen dissimulare plane nō possum, quod tum hoc, tum etiam alijs suis libellis, sine fronte affirmat, viuente D. Melanchthon, arcanum fuisse dogma istud omnimaestatis, neque Brentium, illo viuo, aperte effari ausum. Sic ille. Quando autem tandem manifestissimum mendaciorum te, Beza, pudebit? Forte non prius, quam locusta bouem pepererit. Quomodo quæsto, aut quando probabis ista de Brentio, Galle? scilicet, quando Gallus apud Nibas vocem ediderit.

Nunc verò tu, perfrictæ frontis homo, hoc tantum crimen, tandem etiam D. Brentio, Theologo constantissimo, tribues? cuius Caluinus & ille alter amicus tuus singulis a fronte simul & occipitio, ceu Ianus quispiam oculatus, D. Philippum dudum publicis scriptis accusarunt. Verba ipsorum recitare liber.

*Calvinus ad Melanchthonem, libro Epistolarum pag. 55.*

*scripta, Anno 45. Iunij 28.*

Sed, dum locum hunc, tanquam scopulum aliquem, res fugis, ne in quorundam offenditionem incurras, plurimos, qui aliquid certius, in quo acquiescant, abs te requirunt, suspenso perplexosq; relinquis. Est autem (ut me aliquando tibi dicere memini) non satis nobis honestum, eam doctrinam, quam pleriq; sancti proprio sanguine testatam relinquerere non dubitant, ne atramento quidem consignare.

*Et pag. 90.*

Si forte, quod tibi aliquando dixi, oblitus es, nunc in memoriam reuoco, nimis charum nobis esse atramentum.

*Et pag. centesima trigesima tertia.*

Nihil tanti est, ut furiosis hominibus T V A D I S S I M V L A T I O, ad turbandas & dissipandas Ecclesias, frenum laxet. Taceo iam, quam preciosa nobis esse beat, ingenua sanæ doctrinæ professio.

*Ibidem.*

Vt timenda sint tibi extrema quaæq; , semel tamen statuere necesse est, quid Christo debeas, ne ingenuam veritatis Confessionem suppressimus, ad eam opprimendam, quasi tacitum patrocinium improbis hominibus accommodes.

*Eodem libro.*

Quid plausibile sit in Mundo, vel odiosum, me non lastet, sed mihi nihil pluris est, quam præscriptam à Magistro normam sequi. Nec dubito, quin hæc ingenuitas p̄ijs & sanis gratior tandem futura sit, quam flexibilis & mollis docendi ratio, quæ inanem metu p̄a se ferat. Quod te Deo & Ecclesiæ debere agnoscis, obsecro te, ut quamprimum soliras.

*Et pag. 185.*

Omnino tibi videndum est, & quidem maturè, ne tibi apud posteros dedecori sit, nimia taciturnitas. Quod si, dum vndiq;

*D. Pappum, libello, admonitio.* 55

vndicq; suis telis te confodiant Hippocentauri isti, expectas,  
timendum rursus, ne parum opportuna censeatur confessio,  
quam tanta necessitas extorserit. Quid si mors occupet:  
Non ne vt tibi decedat omnis authoritas, fidesq; abrogetur,  
seruiliter timidum fuisse clamabunt? Quam infamiam, vt  
abs te extergere festines, non es pluribus monendus.

*Idem ad Martyrem, pag. 135.*

De D. Philippo valde mihi dolet. Ergo ei non satis est,  
vel quocunq; tulerit hominum gratia, flexibilem mutare,  
vel silentio veritatem prodere, nisi cordatos Dei seruos, ad  
quorum imitationem ipsum potius eniti decebat, inflectere  
ad suam molliciem conetur. Praclarè vero abs te factum,  
quod te liberum verae doctrinæ defensorem professus es.  
Sic enim, tuo exēplo, præscripta est ei regula, quatenus pax  
fouēda sit, vt scintillā virilis animi spirare aliquando discat.

*Argus in Quadrimulum, pag. 136.*

Recte fecisset (D. Melanchthon) si sententiam suam  
exposuisset simpliciter, & sine ambiguitate, idq; in toto  
Mundi theatro, & minus in sua senecta metuisset exilia &  
alia pericula. Hactenus illi.

Nunquid hoc de Philippo vobis non satis est, Beza, nisi  
sit u græca prouersus, aut si mauis, Cingliana fide D. Brentium  
huic adiungeres, qui de Lutherò etiam sceleratè scripsisti  
(pag. 146.) non audiendum in foro testem, quod sibi ipsi  
contradicat. Ita scilicet sartam tectamq; horum authorita-  
tem conseruatam vultis, vt communi consensu, & com-  
munibus armis (quod suprà te dicere memini) nobiscum  
Pontificios oppugnent, ita nimirum solus sapere, solus re-  
gnare, & albis equis, quod dici solet, reliquos omnes præce-  
dere sibi videtur, cum verius de ipso dici possit, illud Poëta:

*Dispeream Pyladi præstare matellam,  
Dignus es, aut porcos pascere Pyrithei.*

Sed

Sed omitto ista, & ad rem ipsam. Conqueritur Beza immitterit se mendacijs a Pappo insimulatum, neq; enim de D. Luthero, sed de D. Brentio dixisse, quod viuo D. Melanchthonem, quid sentiret, effari non fuerit ausus, quod & repetit. tantum hoc adjiciens, mussitasse quidem interdum aliqua. Ego vero id ipsum quoq; repeto, & perspicue affirmo, Bezae istum, quoties D. Brentio (in Domino nunc quiescenti) maculam istam inurere conetur, toties eū mentiri aper- tissimè, quod, nisi luce meridiana clarius demonstrauero, ego Beza sim, hoc est, bipedium vanissimus. Ita ergo inquit Beza.

Negare non potes (D. Pappum intelligit) arcana istud omnimaiestatis, ad obitum usque D. Philippi, mussitasse quidem (D. Brentium) nonnunquam, at nunquam, nisi illo mortuo, aperte effatum, cuius rei testes (inquit ille) tibi omnes eius libros, ante hoc tempus scriptos, fero. Agemus ergo videamus. Neq; verò iam quicquam eorum proferā, quæ hactenus edita sunt, et si scripta, viuo D. Melanchthonne, ne supposititia esse cauilletur, neq; illorum etiam quicquam, ubi rem paucis tantum attigit, ne (mussitasse suum) opponat, et si priori libro negarit simpliciter. Sed ecce commentarium eius in Ioannem.

*D. Brentius in Ioannem Cap. 13. Anno 45.  
edito.*

Quemadmodum impie sentiunt, qui dicunt, hanc coenam esse merito actionis suæ expiationem pro peccatis visuorum & mortuorum: ita etiam vanissimi sunt, qui sentiunt, corpus & sanguinem Christi non esse reuera in hac coena, nec distribui sumentibus pane & vino, sed tantum significari. Hi enim singunt, nescio quas absurditates, quod tam magnum

D. Pappum, libello, admonitio. 57

magnum corpus non possit contineri in tantilla panis particula. Quasi vero in hac coena tale ageretur negotium, quale est, cum mulieres recipiunt in laniena, carnes bouis aut vestituli in corbes suras. Sed profecto agitur hic celeste negotium, in quo considerandum est, non quid rerum natura feras, & humanae imaginationi absurdum videatur, sed quid verbum Domini dicat, & quid fides ferre queat. Scimus quidem optimè, nullum hominem posse corpus suum in tantillam particulam panis reponere: sed de Iesu Christo, filio Dei, longè aliter sentiendum est, quam de alijs hominibus. Hic enim Christus, non habet tam nudum corpus aut carnem, quam est caro alterius cuiusdam hominis, sed habet carnem coniunctam cum diuina natura in unitate personæ. Verbum, inquit Ioannes, factum est caro. Quod si diuinitas Christi implet panem coenæ Dominicæ, quid prohibetur, quod minus secum carnem, quæ cum ipsa in unitate coniuncta est, adduceret? Non ferunt hoc, inquis, naturales conditiones carnis. At nec fert naturalis conditio carnis, ut diuina natura cum ipsa coniungatur in unitate personæ, vt ambulet super aquas maris, quasi super aridam, & non desegnatur, vt subito ex oculis hominum euanescat, & fiat inuisibilis, vt ascendat absq; scalis in altum, vt suscipiat a nube, ac multa id genus alia, & tamen hæc omnia vere sunt in carne Christi. Quid manifestius est, quam Iesum Christum, qui descendebat in infimas partes terræ, ascendisse non in cœlum tantum, sed etiam super omnes cœlos, vt omnia tam infra, quam supra impleret? Impleret autem, non diuinitatem tantum, sed etiam humanitatem. Facebat hinc humanæ rationis prudentia. Non est hæc impletio, qualis est raparum in sacco, sed est cœlestis & diuina, quæ dici quidem vtcunq; non autem humano captu intelligi potest.

H

Quod si

Quod si verò Christus implet humanitate sua cœlum & terram (hoc enim sibi vult ascensus eius in cœlum) quos modo non impleret etiam iuxta verbum suum, panem coænae Dominicæ?

Videamus etiam Lucam eiusdem, editum Anno 37.

Hom. 78.

Ascendit in cœlum, non quod in uno tantum huius externi cœli loco, corporali modo sedeat, & à nobis longè absit. Nam, si Christus in externo cœlo corporali modo habbitaret, an non adhuc esset huic corporali Mundo affixus, nec verè exiisset ex hoc Mundo, nec verè intrasset in gloriam & maiestatem Patris sui? Et, si longè à nobis abesset, quomodo dixisset: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi? Et iterum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum facies natus. Diuinitate, inquis, nobiscum est Christus, non humilitate. Recte. Nō est nobiscū externa, & visibili sua humilitate. Sed quid? Num putas Christum, qui est nunc in gloria & maiestate Patris sui, qui est ad dexteram Dei, & regnat in spirituali, ac humano captui incomprehensibili Mundo, non habere alium modū præsentia, quam externum & visibilem? An putas in Christo, hominem à Deo, per locorum diuersitatem, separari posse? Mors ipsa non potuit in Christo Deum ab homine diuellere, quia Deus & homo est una persona, quomodo ergo posset eos separare locoru distātia? In conspectu Dei, mille dies, sunt unus dies, quomodo igitur in conspectu Christi, qui est ad dexteram Dei, cœlum & terra, immo mille loca, non etiam essent unus tantum locus? Ascendit, inquit Paulus, super omnes cœlos, sed ut omnia tam

D. Pappum, libello, admonitio.

59

tam supera, quām infera impleret. Quare, et si ascenderit in  
coelum, tamen quia additur: Consedit ad dexteram Dei, quę  
est maiestas, & omnipotētia Dei, manifestum est, C H R I S  
T U M tam in cōlo quām in terra, tam supra cōlum, quām  
infra terram, adeo q̄ supra, infra, extra, & intra omnes crea-  
turās, admirabiliter præstò esse, & omnipotenter regnare.

Similiter Comment. in Acta Apostolorum, Hom. 3.  
qui editus est Anno 34.

Exponendum nunc erit, quæ sit vera sententia eius,  
quod dicitur: Ascendit in cōlum. Atq̄ hoc diligentius  
scrutandum & obseruandum est, quod Sacramentarij, qui  
negant, panem cœnæ Dominicæ verè corpus Christi esse,  
querunt ex ascensu Christi in cōlū erroris sui patrocinium.  
Dicunt enim, Christus ascendit cum corpore suo in cōlū,  
& habitat in cōlo corporaliter, corpus igitur Christi non  
potest esse in pane. Nos autem, vestris adiuti precibus, per-  
spicue ostendemus, tantum abesse, vt ascensus Christi in  
cōlum, horum errori patrocinetur, vt maxime omniū vanis-  
tatem eorum arguat & confutet. Primum igitur, Christus  
dicitur in cōlū ascendisse, non quod vñū in cōlo illo visibili  
locum corpore suo ita occupauerit, vt in eo loco tantum cō-  
tineatur, sed quod penetraverit, quemadmodū ad Hebreos  
scribitur, cōlos, & euaserit super omnia, quæ sunt in terra  
& in cōlo. Illud, inquit Paulus, ascendit, quid est, nisi  
quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ?  
Qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit, super omnes  
cōlos. Audi quid Paulus dicat. Super omnes, inquit,  
cōlos, vt impleret omnia, nimirum, non vt tantum im-  
pleret omnem Scripturam, quemadmodum quidam hunc  
locū, ad confirmāda somnia sua, detorquent: sed vt impleret  
omnia,

H 2

omnia,

omnia, tam infera quam supera, tam terram quam cœlum. Nam quemadmodum, qui in valle aliqua profunda consistit, non potest totam regionem circumiacentem oculis comprehendere, sed tantum ea, quæ in valle sunt, & non longe à valle distant, perspicit. Qui autem ascendit in altum montem, is totam circumiacentem regionem oculis suis occupat: ita Christus noluit vel in terra, vel in aliqua tantum parte externi illius cœli fixus permanere, sed equaliter super omnes cœlos, non ut omnia tantum in prospectu suo haberet, sed ut omnia impleret, & ubi Deus regnat, ibi & ipse Deus & homo præsto adesset, ac unde cum Patre suo regnaret. Nō est autem hic audiendum commentum illorum, qui Christum omnia quidem implere iuxta diuinitatem, non autem omnia implere iuxta humanitatem, quam in uno tantum loco esse oporteat. Tametsi enim humanitatis per se proprietas sit, in uno tantum loco esse: attamen si humanitas diuinitati in una persona, quemadmodum sit in Christo, coniuncta fuerit, profecto ea humanitas diuinitati ita adhæret, ut nulla lossici distantia ab ea diuelli queat. Mors ipsa, & infernus non potuerunt humanitatem a diuinitate in Christo separare, & existimabis tu, crassa hæc loca tantæ potentiae esse, ut cogant diuinitatem Christi alicubi esse, ubi non sit humanitas eius. Ac verum quidem est, humanitatem Christi, quoties apparet in uno tantum loco, vel in cœlo, vel in terra apparere. Quia vero fides vera tradit, verbuni carnem factum, & Deum & hominem in Christo unam personam esse, profecto necesse est confiteri, quod re ipsa illuc sit Christus iuxta humanitatem, ubi est iuxta diuinitatem. Quod si hæc humano captu non intellexeris: non est mirum, NON ENIM IDEO DICUNTUR, UT INTELLIGAS, SED

# D. Pappum, libello, admonitio.

61

S E D , V T C R E D A S . In mysterio enim incarnationis Domini nostri Iesu Christi, requirit Scriptura, non intellectum captus humani, sed fidem verbi Dei, dicentis : V E R S & V M caro factum est; Et, Emisit Deus filium suum, factum ex muliere. Et, Non angelos assumit, sed semen Abrahæ. Quare non est sentiendum, Christum ita in cœlum ascensisse, vt in hoc tantum visibili cœlo iuxta humanitatem persisteret, sed potius, vt omnes cœlos penetrando ac superius manserit, omnia impleret. Nam id ipsum quoq; Marcus significat, de ascensu Christi ita scribens: Receptus est in cœlum, & confedit a dexteris Dei. Quæramus igitur, vbi sint dextræ Dei, vt & illic thronum Iesu Christi inueniamus. Dexter autem Dei est, omnipotentia, gloria, & maiestas Dei, id quod passim Scriptura multis locis testatur. Omnipotentia vero, & maiestas Dei, sunt in omnibus locis, immo, vt rectius dicam, sunt extra, intra, infra & supra omnes locos, tam in cœlo, quam in terra. Hactenus D. Brentius in Actis Apostolicis.

Iam quia tum Beza, tum fanatici reliqui, ad D. Brentij Exegesin appellant perpetuò, ex illa eadem, & quidē Anno 27. ædita, quid missitārit D. Brentius, audiant. Sic autem inquit: Porro, filium hominis ascendere, est Christum glorificari, & omnia tam in cœlo, quam in terra in suam potestatē accipere. Ascendit enim super omnes cœlos, vt omnia impleret, & omnium rerum dominium sibi vendicaret.

Adeo vero huius doctrinæ D. Brentium non puduit, (sicut nec debuit) adeo, inquam, nullum arcanum, vt proficeret sua, quam posteritati debebat, etiam Catechismo inseri voluerit, quo iuuentuti tam in scholis, quam Ecclesijs, a temporis instillaretur. Ita autem ascensionem Christi, & sessiōnem eius ad dexteram Patris explicuit.

H 3

Bren-

Brentius in Catechesi, Anno 51. edita, pag. 203.

Item 209.

Nec sentiendum est, quod Christus sic ascenderit in cœlum, ut commoretur in hoc externo & visibili cœlo, & habitet ibi localiter. Dicit enim Paulus, Ephes. 4. ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia, videlicet tam infera quam supera.

*Et de dextera Dei.*

Non sentiendum est, quod Christus, filius Dei, tunc primum considererit ad dexteram Patris sui, cum ascendit in cœlum. Nam quod ad diuinitatem eius attinet, considerit semper ab æterno ad dexteram Patris, quod sit eiusdem cum ipso essentia & maiestatis. Quod autem attinet ad humanae dignitatem eius, considerit quidem ipsa rei veritate, ad dexteram Dei Patris, quamprimum verbum caro factum est. Vna enim est persona, Deus & homo. Reuelatione autem & glorificatione non ante dicitur ad dexteram Patris considerisse, quam resurrexit a mortuis, & ascendit in cœlum.

*Et paulò post.*

Sedere enim in hoc articulo, non est simpliciter sedere, pro vulgarium hominum more, sed est sedere more regio, hoc est, regnare & imperare. Hinc metropoles Regum, solent dicithroni aut sedes regiae. Dextera autem Dei non est corporale membrum: sed virtus & omnipotentia Dei. Vnde Psalmus 117. dicitur: Dextera Domini fecit virtutem. Dextera Domini exaltata est. Hic vides, dexteram Dei dici omnipotentem virtutem Dei. Quare sedere ad dexteram Dei, est regnare omnipotenti & diuina maiestate. Hæc D. Brentius.

Quid nam requirit Beza amplius? An non ista scripsit D. Brentius? An non scripsit & addidit, viuo D. Melanchthon? nunc

nunc quid negabit? nunc quid tergiuersabitur? quid stat?  
quid fingit? nullum ne ei omnino commentum superest?  
Effugium ne nullum: Mirum vero, adeo ad fingendum  
felicem & ingeniosum Bezam esse, nec posse nunc com-  
minisci aliquid. Nimirum hoccine est istud arcanum, hoc-  
cine est multisitare. Imo vero, an non hoc est aperte effarit?  
apertius certe quam ille velit, apertius, inquam, quam Cin-  
gianorum mussitatorum vnamquam quisquam, ne quidem  
apertissimus. Bezam itaque nugatorem impudentissimum  
esse, nullum porro arcanum. Bezam sine rubore mentiri  
non mussitabimus posthac, sed effabimur aperte. Sic scilicet,  
Beza opsonium querens, ut in proverbio est, vestem  
amisit. Quod si, quid velim, planius dici postulat, sic habeat:  
Beza, dum aliorum insidiatur existimationi, ipse fidem &  
existimationem, si quam vnamquam habuit, omnem amisit.

## C A P V T I I I I .

### De Calumnijs.

Hic vero Nathanaelem ipsissimum videoas, hoc est, ho-  
minem calumnijs natu. Adeo enim pro libitu suo, &  
licentia profecto plusquam poetica, omnia fingit, depravat,  
inuertit, contorquet, ut magistro etiam hac in re suo nihilo  
sit inferior, imo superasse illum & longo post se interuallo  
reliquisse, verè dicere possis.

Principio enim talem præsentiam corporis & sanguis  
nis Christi in coena nostris tribuit, qua sic ore illa deglutias-  
mus, & dentibus atteramus, ut in ventrē simul TRAI CI, <sup>co</sup> Pag. 108.  
CO N C O Q Y I & nobis ASSIMILARI necesse sit, nisi cū  
Papistis præsentia mox desinere velimus, simulacrum forma  
specie-

specierum perierit. Cum autem manifestam calumniam id sapere animaduerteret, hoc Cinglano scilicet stratagema vititur, didicit nimirum vulgare illud: Pueros talis, viros auctem iureiurando, falli debere, itaq; Deum testem vocat, (nam & Lampon iurat per anserem) se nequaquam conuictiandi animo, sed euidentia rei coactum, ita loquutum esse.

Dicat autem nobis Beza, si vir bonus est: quis nostrum vñquam ita senserit, scripserit, docuerit: Dicat si potest, cuius ius sint verba hæc, vnde sumpserit, transcripserit, immo dicat nobis, si vlla ipsi fides & religio curæ est, an non hæc sit, teste propria eius, ad quam prouocamus, conscientia, portentosa calumnia, de qua etiam ipsi Cinglani, nostros dudum publicis scriptis excusarint. Facile itaq; omittere ista, que ex sese, ceu araneus quispiam finxit, Beza potuisset, nisi ex eo, quod vulgo dicitur, magnam spem concepisset: Calumnias, re audacter, semper aliquid hæret.

Pag. 109.

Tamen hanc ut exornet calumniam, aliam non minus turpem, contra D. Lutherum adiicit: illum videlicet in maiori sua Confessione (quam suppressam se velle dicit, quod nemo non credit) scriptum reliuisse, id ipsum quod panificat [verè & propriè] (hæc maiusculis literis scribi voluit) corpori Christi tribui, & immorito reprehensum Nicolaum Papam, quod dixerit, dentibus atteri corpus Christi.

Sanè non est de nihilo, quod suppressum hunc librum Beza optat, ne scilicet deprehendit tam facile calumnia eius possent: nunc, cum Dei beneficio publicè extet, videamus, quām candidè noster ille Nathanaël, egerit. Sic autem Lutherus ait.

Lutherus

Lutherus in maiori Confessione Tom.Ien.

Germanico 3.pag.487.

Itaq; omnino recte dicitur, quando de pane locuti dis-  
cimus, quod sit corpus Christi, & qui videt illum panem, vi-  
det corpus Christi, quemadmodum Ioannes inquit: quod  
S. sanctum viderit, cum videret columbam, sicuti iam audi-  
uimus. Ita & in reliquis recte dicitur, qui hunc panem tan-  
git, tangit corpus Christi, qui comedit hunc panem, comes  
dit corpus Christi, qui hunc panem lingua & dentibus at-  
terit, lingua etiam & dentibus corpus Christi atterit. Intes-  
tim tamen perpetuo veru manet, quod nemo corpus Chris-  
ti videat, tangat, comedat, aut dentibus atterat, sicut visibili  
modo aliam carnem videmus, & dentibus atterimus. Nam  
quod de pane fit, recte & benè corpori Christi tribuitur,  
**PROPTER UNIONEM SACRAMENTALEM.**  
Hactenus D.Lutherus.

Mira profectio res, Bezam quauis talpa cæciorem, non  
posse videre, quæ dicuntur adeo perspicue, & tamen tanta  
simul oculorum acie esse præditum, ut Lynceo etiam per-  
spicacior, quæ non sunt, videat. Quod enim D.Lutherus  
expressis verbis affirmat, neminem prorsus corpus Christi,  
neq; videre, neq; tangere, neq; comedere, neq; dentibus at-  
terere, sicut id visibili quadam ratione in reliquis vulgaris  
bus carnibus fieri cernamus, atq; manifestissime confutet,  
quæ per calumniam à Beza ipsi adscribuntur, tamen nihil  
horum videre potuit (si credere fas est) spiritus ille vertigis-  
nis. Quod vero D. Lutherò in mentem nunquam venit,  
nudè adeo & simpliciter, corpus Christi in sacra coena vide-  
ri, tangi, dentibus atteri, id nimirum obseruauit tenebrarum  
spiritus. Atqui D.Lutherus propter vnionem Sacramens-

talem, non simpliciter, hoc panī tribuit, qua nimirum sit, vt  
qui panem hunc edat, non edat merum, purum, & simplis  
cēm panem (hæc D. Lutheri verba sunt) sed (vt ipse met  
mox in sequentibus sese amplius interpretatur) eum pas  
nem, qui sacramentaliter, vel propter vñionem sacramen  
talem, sit corpus Christi.

Si itaq; Nathanaël, hoc est, vir bonus & candidus, esset  
Beza, non illa (verē & proprie) sed hēc potius (P R O P T E R  
S A C R A M E N T A L E M V N I O N E M) maiusculis literis  
scribenda erant. Verūm istud instituto Bezae, hoc est, calu  
mniæ magis seruiebat.

Non multūm dissimilis huic calumnia est, qu'od impu  
metam prouectus, Vbiq; uitatis fundamenta iecerit: tamen

**T A N Q V A M E X A B V N D A N T I** id fecisse, ipsius D.  
Lutheri verbis confirmari posse, cum inquit: Ecce tibi Lu  
theri verba. Atqui Lutheri ista verba esse, hactenus in cō  
trouersia est, nec ignorat Beza, plærosq; nostrūm, non ina  
nibus coniecturis ductos, aliter existimare. Non igitur hot  
sumendum, sed probandum prius erat. Postquam itaque  
manum D. Lutheri Beza nobis ostenderit, tum dicere ipsi  
licebit: Ecce Lutheri verba. Deinde, vt maxim'e D. Luthe  
ri essent, quomodo, quæso, nobis persuadebit, vt relictis, vel,  
• vt ipsius verbis utar, omnino suppressis ijs libris, vbi singu  
lari studio, & magna industria, quasi ex professo has mate  
ria tractauit, ex vna, sola, dubia, incerta, vaga, lacera sche  
dula, iudicium de hac tanta controuersia sumamus.

Tamen, si vtrumq; concedamus, quid nam absurdia deo  
habet: ipsius ne potius, an nostram euertet sententiam, ag'e  
experiamur, si periculum facere vult Beza: si subscribā ego,  
rata ne haberem vult ipse, quæ ibi dicuntur? Fatetur ergo  
ille,

Ille, quisquis sit, verba ut S O N A N T accipienda. Et quia sic sonant, necesse etiam esse ita fieri, annuis ne Beza: Deinde affirmat, quod Christus adsit in Sacramento coenæ V E R A .  
 C I T E R & C O R P O R A L I T E R , ideo quia dixerit, se suo corpore ibi ad futurum præsentem. Assentiris ne Beza:  
 Præterea, et si alias vnum corpus non possit simule esse in plus tribus locis, tam quia A L I A sit corporis Christi ratio, quam nostri, posse illum, quandocunq velit, V B I Q V E & in O M ,  
 N I B V S L O C I S adesse, concedis ne Beza & hoc? Ergo & istud nos libenter tibi tribuimus, aliam videlicet causam præsentiae Christi corporis & sanguinis in coena, non quæ situros, quam institutionis eius verba. Et quia longè aliam rationem esse præsentiae Christi in coena (quam Sacramens tales dicimus) & omnipræsentiae causam, quæ ex vniione personali dependet, nos ipsi fateamur, in hac quidem controversia, de coena Domini, posthac de Vbiuitate nullum verbum. Peto, quid nam Beza velit amplius.

Si vero, qui vir Beza siet, forte quis ignorasset hactenus, ex ijs, quæ iam dicam, tanquam ex vnguibus leonem, cognoscere poterit. Denuò enim D. Lutheri autoritatem nobis obijciens, (quæ tamen aliás ipsi planè nulla est) ita in: Pag. 49.  
 quit: D. Lutherus quidem certe non minus false, istud omni potentiae carni insitæ figmentum, quam alterū illud omni nescientiae deridet, alia quadam concione iam pridem edita, & iam antea citata, his verbis: Imperiti quidam omnipotentem in Christo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, & opera earum, parum prudenter. Hæc ille R E C T E  
 S A N E S E N T I E N S . Quem non excusauit, sed G R A V I  
 P R O B R O affecit, Hamburgensis ille, qui nuper hanc concionem inter næuos D. Lutheri reposuit. Hæc Beza. Sic etiā in bello contra D. Brentium, inquit: Ista certe, quæ citauimus, Pag. 191.

HONESTA sunt & VENERANDA, ut potest, quæ ex ipsis  
SCRIPTVRIS sit mutuatus, cum eos imperitos vocaret,  
qui duas naturas & opera earum permiscentes, hominem  
in Christo omnipotentem faciunt.

Iam vero videamus, quid de hac eadem sententia Beza scripsit alibi, Etenim responsione ad Selneccerum, de  
**Pag. 25.** D. Lutheru locutus, ait: Imprudens (Lutherus) eo ipso  
GRAVISSIME PECCAT, vocat enim eos imperitos,  
qui ex Christo hominem omnipotentem & omniscientem  
faciunt. (Quo quidem dicto vestrum dogma ex professo  
damnauit) & tamen nisi Christus est homo omnipotens,  
omniscius, omnipræsens, certè non est homo Deus. Itaque  
imperiti non sunt, quos Lutherus arguit.

Dicas, Bezam ex Lethæo bibisse flumine: At quid agas?  
quid facias? quo te vertas? quando cum eiusmodi hominibus  
negotium tibi sit, qui modo aiunt, modo negant, metra  
Erisichontis mutabilioribus. Iam recte sane sentit D. Lu-  
therus, mox factum imprudenter, nunc honesta & venera-  
da omnia, atque ex ipsis Scripturis desumpta, paulo post pec-  
catum grauiissime peccatum, inquam, à D. Lutheru graui-  
ssime: & tamen qui inter nauos reposuerit, eum non excus-  
sauerit, sed graui probro affecerit. Quam egregie vero illa  
inter se consentiunt, quam pulchre cohærent sibi, ceu scopæ  
dissolutæ, aut Samsonis vulpeculæ.

Si itaque ut respondeamus, vult Beza, prius quid ipse ves-  
tit, nobis dicat. Si enim honesta illa sunt & veneranda, si re-  
cte & ex ipsis Scripturis desumpta, quare imprudentem D.  
Lutherum pronunciat, & qui peccet grauiissime: si vero im-  
prudenter ista scripsit, peccauitque grauiissime, quare Ham-  
burgensis probro ipsum affecisse dicitur, qui inter nauos  
repositorum. Imo, quid nobis illum obijcit? Cum itaque in biuio  
positus

*D. Pappum, libello, admonitio.* 69

positus Beza, lupum (quod dicitur) auribus teneat, nos tan-  
tisper ociosi spectatores sedebimus, donec miser, quam' nam  
tandem viam ingredi velit, certius secum constituat.

Quòd verò & tertium D. Lutheri locum nobis oppo-  
nit, quid quaerat, non video. Etenim non magis nostram,  
quam ipsorum, impugnat sententiam. Affirmat enim D.  
Lutherus hoc eodem loco, humanitatem Christi, esse Deita-  
tis INSTRUMENTVM, quod illi pernegant. Deinde,  
(quod Beza pro candore suo omnino omisit) ait D. Luthe-  
rus, eum honorem & reverentiam sese Euangelistæ (Lucæ)  
verbis, vt pote Dei verbis, habiturum, quòd, etsi non intellis-  
cat, fidem tamen adhibere velit. Talem autem honorem,  
cum Beza, ne Christi quidem verbis, habendum iudicet,  
ideo locum hunc, tanquam scopulum, Charybdi & Scylla  
periculosiorem, deuitauit.

Nos verò nunquam docuimus, animam Christi, in mo-  
dum vtris, ita repletam, vt nihil prætere à recipere potuerit,  
sed cum D. Lutherò dicimus, quòd etsi SEMPER, & qui-  
dem a puncto conceptionis, plenus fuerit spiritu & gratia:  
tamen propter exinanitionem non semper & ubiqꝫ æquali-  
ter, sed alia atqꝫ alia ratione, pro diuersitate negotiorum &  
occisionum (vt D. Lutherus ait) rem Patris agendi, motam.  
Potuissest igitur Beza, & seipsum & nos, nisi contradicendi  
calore æstuaret, hoc labore & onere subleuare.

Vanissimum etiam est, quòd D. Ioan. Pappum, Argen-  
tinensis Ecclesiæ ministru[m], eius libelli, quem refutandum  
suscepit, authoremesse, improbe affirmat. Etenim neqꝫ Ar-  
gentinæ, neqꝫ vspiam in Germania, (quæ tuas nugas Beza,  
ne vitiosa quidem nuce æstimat) sed Genevæ, Genevæ, in-  
quam, audis ne Beza, in tua ipsius vrbe, in schola tua, à quo-  
dam auditore tuo, qui Homilias eas, ex impuro ore tuo, au-

70      *De Theod. Bezae aduersus*

diuit, non solum eodem anno, sed ijsdem fer'e diebus, cōscriptus ille est. Istud nimurum est sapere, quæ in longinquis regionibus stant, perspicere velle, & quæ ante pedes sunt, non videre: alienas Republicas & Ecclesias peruestigare, suam prorsus negligere, in aliena domo oculatissimum esse, in propria autem, ipsis tenebris cæciorem. Vides ne Bezæ, non omnes, qui te audiunt, errores tuos amplecti & suspicere. Intelligis ne iam, quæ inanæ sumptus facias in proditores, qui tot annis, non detulerunt ad te, quæ nos in Germania, ut vides, non latent. Animaduertis ne tandem, quæ fœde erres, quæ hallucineris turpiter, cum alienis oculis cernere, & aures, exploratorum nugamentis, accommodare volueris. Si itaq; porrò quid scribere volueris, non quoslibet vulgi rumulos captes, & sequaris, ne falsa pro veris apprehendas, nō quæ superiori nocte somniaris, mox altera luce, tanquam Apollinis oracula, spargas, ne incerta constituisti, admonitum te volumus, ita cum ijs vt transfiguras, ne adulandi gratia quævis pro quibusvis tibi renuncient, & vt ipsorum similis efficiaris.

Prodigiosa quoq; & detestanda calumnia hæc est, quod Patrīpassianorum hæresin, nostris obijcit, quam tum probabit, quum testudo leporem præuerterit: illam tamen vt amplitificeret, atq; plures se uno spiritu posse exhalare calumnias ostendar, ait: se non in his homilijs tantum, sed iampridem aduersus D. Brentium, & D. Iacobum Andreæ ita argumentatum: quasi nec responsum quicquam sit, nec responderi etiam possit, quasi vero hic sit nodus Gordius? Verum & iampridem non Haidelbergensibus tantum & Pontificijs, à quibus Beza mutuatus est, sed etiam ipsi Bezae, obuiatum fuit, quod quia se nescire simulat, agere repetemus ipsi.

*D. Iacobus*

*D. Papum, libello, admonitio.*

71

*D. Iacobus Andrea lib. posteriori aduersus  
Bezam, pag. 48.*

Nouisti (Beza) in vna diuinitatis essentia tres distinctas esse personas, quarum prima est ingenita, altera genita, tertia procedens. Etsi verò vna est trium harum simplicissima essentia, qua vnum Deus, & sunt, & dicuntur, pater, filius, & Spiritus sanctus: alia tamen est Patris sapientia ingenita, alia filij genita, alia S. sancti procedens, id quod te D. Augustinus docere potuit, & tu minimè negare potes. Efsudit ergo persona filij, quæ A L I A est quam Patris (etsi non A L I V D sit) suam genitam potentiam & sapientiam in hunc hominem, cuius naturam in unitatem personæ assumpsit, quæ sola incarnata est, non Pater & S. sanctus. Ide oīg̃ solus filius (qui solus incarnatus est, & per unionem sese in humanitatem assumptam effudit) Christus dicitur, non pater, aut S. sanctus. Hactenus D. Iacobus.

Hæc cum Beza non ignorarit, quare non dudum, si vir erat, quid desideraret, ostendit: si omnino, quod videri vult, alter Hercules est, quare pugnam detrectauit, quid hastam abiecit: quare infixo aculeo fugam arripuit: Et, quid nunc non solum ante victoriam, sed prius quam pugnam inierit, vel arma etiam induerit, triumphum agit? Quod vero argute quædam secum disputat, & scoticè nonnulla, pro & contra arguit, iam omnipotentias tres, iam tres Deos fin gens, (est enim in hac palæstra exercitatus plurimum) nondum in scirpo querit, hoc solum agens, ne planè mutus videatur. Cum itaq̃ Tantalo miserior, contentionum siti laboret inexplebili, Augustinum, cum nos contentioso homini satisfacere nequeamus, obijcere visum est.

*Augustinus*

Augustinus de Trinitate libro 15.

Cap. 7.

Filius quoque est sapientia, genita de sapientia, sicut nec Pater ei, nec S. S. ei intelligit, sed ipse sibi. Sua enim est, & ipsi memoria, sua intelligentia, sua dilectio: sed ita se habere, de Patre ei est, de quo natus est. Spiritus etiam sanctus, quia sapientia est procedens de sapientia, non Patrem habet memoriam, & filium intelligentiam, & se dilectionem: nec enim sapientia esset, si alius ei meminisset, eique alius intellegeret, ac tantummodo ipse sibi diligeret, sed ipse habet haec tria, & ea sic habet, ut haec ipsa ipse sit. Hæc Augustinus.

Cum hoc igitur, si libet, vel transfigat, cum alias suum esse perpetuo glorietur, vel, si ita videbitur, ad rauim usque expostulet.

*Pag. 18, 22.* Quo vero calumniarum numerus cresceret, etiam hanc addere ipsi visum est. Fuit inter Alexandri Magni parastos, quidam Medius, qui exhortabatur alios, ne metuerent, quoduis crimen in quemuis intendere, scelerato consilio, appositam causam adjiciens. Dicebat enim, ut maximè virus sanet, qui accepit, cicatrix tamen perpetuo manet. Non arbitror quenquam Diabolum, etsi à calumniando nomen ipsis sit, usque adeò impium esse, ut rem magis nefariam suggerere cuiquam, vel possit, vel ausit. Hac sola tamen spe fretus Beza, Christianus scilicet Theologus, totus in hoc est, vt & nostros & doctrinam nostram, calumnias planè obruat, quasi nullum prius magis, & salutare præceptum in nullis vel sacris, vel profanis scriptoribus, occurrat. Quid enim aliud est, quam virulentissima calumnia, quod scribit: D. Iacobum Andreae dicere: personalem vniōnem Deitatis

## D. Pappum, libello, admonitio.

73

tis verbi in Christo differre ab inhabitacione Dei in sanctis,  
NON TOTO GENERE, sed tantum secundum MAGIS & MINVS. Quanta autem isthac sit calumnia, malo  
ipsius D. Iacobi Andreæ, quā am meis verbis ostendere.

D. Iacobus Andreæ ad Bezam posteriori,

pag. 32.

Deinde F A L S O colligis ex hac sententia nostra: si per Unionem personæ plenitudinē Deitatis, seu communicationē unio personalis nalem à quavis definiatur, eam non TOTO GENERE, sed secundum alia toto genero MAGIS & MINVS ab unione diuinitatis, cum alijs sanz differre. Etis hominibus, differre.

Causa huius erroris est, quod existimas: non humanitatij Christi seorsim tribuere æqualitatem cum Deo accidentariam, in qua omnipræsentia, omnipotentia & omnisciencia, attributa sint, & accidētia quædam, quæ separatim insint humanitatij Christi, sicut sanctis particularia dona. Atq; ita accedit tibi, quod Philosophus scribit, ut uno inconuenienti dato, innumera sequantur. Nihil horum diximus, nihil horum credimus & docemus, sicut in explicatione similitudinis animæ & corporis, quam tu subinde vrges, demonstratum est.

Ideoq; comparationem donorum (quæ per se & seorsim insunt naturæ humanæ) cum sanctis admittimus, qua humanitas Christi beatissima est, numero & gradibus omnes sanctos excedens. Sed unionem personalem TOTO GENERE DIFFERRE DICIMVS AB OMNI UNIONE, qua Deus reliquis creaturis coniungitur, & per sui participationem creat in illis noua dona, ipsiis collata, quæ non sunt ipse Deus, sed sunt dona Dei. In unione autem personali omnipotentia, & omniscientia Christi, & ipsius

K

λόγος

Qua ratione  
Christus à sanctis  
Etis secundum  
magis & minus  
differat.

*Per unionem personalē Christi à sanctis nō differt comparatio.*

Adyō omnipotentiā; sed non solitaria, vt ipsa omnia sciat sōla omnia faciat, & relinquat humanitatem ignorantem & impotentem, quin potius sese personaliter communicathumanitati, vt per eam omnia faciat, sicut anima non seorsim sine oculo videt, sed per oculum, & hoc modo oculo, visio nem confert, qua ipse per se & sua natura caret, vt iam oculus quoq; videat, non separata aliqua virtute, sed naturali virtute animae, quæ per oculum, & cum oculo videt. Quapropter differt hæc vno filij Dei, cum humanitate assumpta in Christo, ab omni alia inhabitatione Dei in sanctis TOTO GENERE.

*Eodem lib. pag. 39.*

Respectu ergo communicationis definienda erit diuersitas illa præsentiae, quæ præsentia Dei in Christo, & inhabitatio ab omni alia in reliquis creaturis, TOTO GENERE DIFFERT, videlicet, quod diuinitas humanitatem sibi propriam fecit personaliter, sicut anima suum proximum corpus, naturaliter sibi vniuit.

*Eodem lib. pag. 102.*

Alterum (quod Bezae corrigendum erit) est, quod affirmit, secundum energiam, quæ personalem vniōnem sequitur, carnem Christi à creaturis reliquis, non simpliciter & proprie, sed compare tantum, differre. Cum enim diuinitas filij Dei non habeat ab humanitate separatas actiones, sed per eam omnia faciat, contrarium est verum: vide licet, energiam carnis Christi, SIMPLICITER & PROPRIE DIFFERRE, ab energia in sanctis, quorum sunt separatae actiones, quemadmodum & separatae personæ. Ideoq; vt supra quoq; dictum est, TOTO GENERE DIFFERUNT ab actionibus Christi. Hactenus ille.

*Eti*

## D. Pappum, libello, admonitio. 75

Etsi verò isthæc ita se habere tam n'orit Beza, qu'ām olim suam Candidam, tamen vt mendacijs atq; calumnijs viuere sese, nutritri & saginari nobis demonstraret, D. Iacobo Andreæ falso illa tribuere voluit.

Ad cumulum autem calumniarum accedit & illa, quod Pag. 148.  
D. Osiandri conciones, ait verè esse tribunitias. Quid ita  
verò mi vir? quia scripsit, si Cinglani fundamentum Vbi  
quitatis euertere possent, nihil ex reliquis argumentis con-  
tra ipsos obtineri posse.

Fatemur san'è, scripsit illa D. Osiander, & quid tum po-  
ste? hoc ne tam grande nefas, & morte piandum? Quid si  
Bezam ego illud idem, & quidem hoc ipso libro, scripsisse  
ostendam? Non ne propria ipsum vineta cedere, & calum-  
niandi libidine deceptum, domesticum quoq; thesaurum  
calumniari, iure dixero? Age ergo sic inquit ille: Et certè Pag. 108.  
hoc dixi, & dico, non nisi posita Vbiq'itate, vel transsub-  
stantiationem Papisticā (aures arrigite Pontificij, hanc gras-  
tiam vobis habet amicus vester Beza, pro oppugnata Vbi-  
quitate) vel consubstantiationem vestram (attendite quæ-  
so vos Semicinglani Caiphæm vaticinantem) stare posse.  
Quām iniqu'è autem comparatum est! scilicet, quando Bes-  
za quid dicit, omnino senatusconsultum est. Si idem dicat  
D. Osiander, planè tribunitium: & quem tandem seipsum  
facit Genevensis ille Pontifex?

Sunt ex vetustioribus nonnulli, qui Athenis Impuden-  
tia aram consecratam fuisse, scribunt. In tanto autem honos-  
re & veneratione illa apud Bezā est, vt nisi Genevensis Ec-  
clesiæ ministrum sese professus fuisset, Athenis impudētię  
sacerdotem esse crederes. Adeò enim omnem per fris-  
cuit frontem, vt scribere nihil dubitaret, eam esse nostræ

76 De Theod. Bezae, aduersus

de cœna Domini doctrinæ sententiam, qua necesse sit, ipsas etiam bestias, si panem hunc edant, corpus Christi comedere. Huius calumniæ tanta est turpitudo, ut postquam Beza illam, sero nimis animaduerteret, se tale quid scripsisse impudenter neget. Neq; enim rarum id, sed solenne admodum Cinglianis est, quæ modò dixerint, nisi in αὐτοφόρω deprehendantur, mox si ita videatur, eodem vestigio audacissime inficiari, tantisper quidem, donec in rem præsentem deducantur. Quod & hoc loco faciendum mihi video. Ita

*Pag. 142.* ergo inquit Beza: Quod autem huc apposuisti, aliunde quam ex meis homilijs desumpsisti. Atqui agnoscat, opiz nor, Beza hæc sua verba: si vera est illa realis consubstantia

*In Nathan.* tio (inquit Beza) quicunq; signa sumunt, sine vila prorsus

*Pag. 68.* » exceptione, imo (sit honos auribus, neq; hoc quisquam ut blasphemè dictum accipiat) ipsæ panem illum edentes, & vinum illud haerientes B E S T I A E, Christi quoq; carnem & sanguinem sumperint. Hæc Beza.

Quæ autem ista est hominis Theologi futilitas, quæ inconstantia? Vbi hæc fides? Vbi candor? Sed quid Germanum candorem in Beza requiro, cum aquam citius è pumice, aut lanam ab asino. Iam vero cum authorem ipsum (quod solum commendatione dignum censeo) tandem conuitij huius pudeat, ego refutandi labore supersedebo.

Quid vero tandem à sycophantæ morsu tutum erit,

*Pag. 138.* D. Brentius (si non græcatur Gallus) Cinglianus est. Et enim ad D. Brentium nondum ubiquitarium ille prouocat, id est, ad ea quæ in Ioannem 6. cap. disertissimis verbis iam olim scripsit. Sic ille.

At per Deum immortalem, quo tandem euadet Cingianorum impudentia? Adeo ne verum, ut qui semel impudens, porrò gnauiter impudens? Sed mirum non est,

D. Bren-

## D. Pappum, libello, admonitio. 77

D. Brentium præter voluntatem Cinglianum esse, cum nō  
D. Lutherum tantum, sed & Apostolos ipsos, Cingianos  
fuisse, Beza suprà pronunciarit, ut qui non magis veram  
præsentiam corporis Christi in coena, quām Christum Chis  
maram esse crediderint. Istuc verò mirum videri posset:  
Cingianos D. Brentij Testamento adeò succensuisse. Nam  
vt reliquos præteream, nuper admodum Lumpertus quis  
dam insignis logodædalus, singulari charitatis feroore atqe  
spiritu excitatus, sic scripsit: Quale tandem fuerit senis Brē  
tij ingenium, & à vera humanitate alienū, vel vnicum illius  
Testamentum semper testatur. Nam ne non semper esset  
in Germania satis bellorum & dissidiorum, quæ viuus se  
minare incepérat, etiam morientem eum non puduit infes  
lix illud classicum canere, quo postea ad dirissima hæc cers  
tamina excitatae sunt Germanicæ pen'e omnes Ecclesiæ.  
Hæc ille.

Sed quid faceret D. Brentius, eiusmodi hominibus, ad  
gubernacula Ecclesiarum sedentibus. Vedit Cingianorū  
impudentiam, omnibus persuadere conatam (quod etiam  
num hodie faciunt) D. Lutherum mutasse sententiam, &  
in sua transiisse castra, vt cunque ille ad extrellum vscque spiri  
tum sententiam illam constatissimè defendenterit. Vedit etiam  
vnuo sibi prorsus sine pudore, execrandum Cingianorum  
dogma, tribui, quo totus abhorret. Ne itaque idem, quod D.  
Lutherò, sibi etiam post obitum accideret, Testamento cas  
uere voluit, & debuit, quod tamen illi ipsi, qui causa eius rei  
fuerunt sola & vnuca, nunc ferunt ægerrimè, sed ad rem  
ipsam. Leuitas ergo & inconstantia non obscur'è D. Bren  
tio tribuitur, qui perpetuò eandem sententiam propugnans,  
omnibus fere suis scriptis, Cingianos constantissimè oppus  
gnauit: ecōtra vero Melanchthon, qui plurimis annis Cin  
glanos

gianos varie exagitauit, cum postea scriberet, quæ ipsis non  
ingrata essent, laudibus super astra vehitur.

Etenim quæ olim ipsius fuerit de vera præsentia cor-  
poris Christi in coena, & de ubiquitate etiam, sententia, doc-  
et Augustana Confessio, quæ ea, quæ post amplexus est,  
tum improbavit: docet Apologia, qua spiritualem mandu-  
cationem non quidem repudiauit: sed & Realem Cyrilli  
authoritate confirmauit: docent Smalcaldici articuli, anno  
37. scripti, in quibus, qui tertiae partis sextus est, sic habet.

De Sacramento altaris sentimus, quod panis & vinum  
coenæ, sint verum corpus & sanguis Christi, & exhibeantur,  
& sumantur, non solum à pījs, sed etiam impijs. Doc-  
cent Acta Ratisponensia Anni 41, quo hæc fuit eius Con-  
fessio: Ideo fatemur, in coena Domini, verè & Realiter, cor-  
pus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino su-  
mentibus exhiberi. Docet id ipsum libellus, quo plurima,  
pro nostræ sententiæ defensione, antiquitatis testimonia  
collegit. Docet etiam Epistola Philippi anni 29. ex Comis-  
tijs Spirensibus ad Oecolampadium scripta; quid tunc de  
coena Domini senserit, qua ita inquit: Nullam firmam ratio-  
nem inuenio, quæ conscientiæ discedendi à verborum pro-  
prietate, satisfaciat.

*Et paulò pōscē.*

Si itaq; sententia vestra, de coena Domini mihi place-  
ret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus,  
*TANQVAM IN TRAGOEDIA*, repræsentari con-  
tenditis. Ego de Christo extare video promissiones: Ero  
vobis cum vscj ad consummationem seculi, & similes: Vbi  
nihil opus est, diuellere ab humanitate diuinitatem. Proin-  
se. Quod cum ita sit, sentio in illa Coena præsentis corporis  
non valere.

*xovavla p* esse: cum proprietas verborum, cū nullo articulo fī  
dei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus.  
Et hæc sententia, de præsentia corporis, conuenit cum alijs  
Scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur.  
Nam illa est indigna Christianis opinio, quod Christus  
ita quandam coeli partem occuparit, vt in ea, tanquam ins-  
clusus carceri, sedeat. Et rursus: Veteres, cum de resurre-  
ctione disputant, allegant cœnam: nec inepte, meo quidem  
iudicio. Significauit enim Christus Apostolis, se resurre-  
cturus esse, quia corporis sui *xovavla p* instituit. Necesse enim  
erat, vt viueret corpus, quod nobis impariendum erat.  
Quod si veteres sensissent, absens corpus representari, quo-  
modo inde probarent resurrectionem?

Docet etiam hoc ad Martinum Gorlitiūm, pastorem  
Brunsiensem scripta Epistola: Quantum attinet ad fa-  
ctionem Cinglij, iubeo te bono animo esse. Ego agnoui,  
coram auditis antesignanis illius sectæ, quām nullam habe-  
ant Christianam doctrinam: tantum pueriliter philosopha-  
tur: ideò non poterunt durare. Omnis enim plantatio, que  
non est ex Deo, eradicabitur. Cum totis sexcentis annis dis-  
putauerint, nihil afferunt præter hanc vocem: Caro non  
prodest quicquam. Hanc nuper torquent ad Christi car-  
nem. Vidisti, quid ego collegerim de hac re, vnde meam  
sententiam cognoscere potes. *EGO MORI MALIM,*  
*QVAM HOC AFFIRMARE, QVOD ILLI AF-*  
*FIRMANT, CHRISTI CORPVS NON POSSE*  
*NISI IN VNO LOCO ESSE.* Ideo constanter argu-  
as eos publice, & priuatim, cum erit occasio.

Docet illud similiter Epistola eius ad Cattorum  
Principem Philippum, Anno 30. scripta, qua de Cin-  
gianis

glianis affirmat, quod INCERTA & IMPIA dogmata  
tueantur, quibus nullo modo assentiendum sit: Et introduc-  
cere illos, atq; defendere doctrinam PRODIGIOSAM,  
atq; pro vera & pia doctrina ERRORES suos propugna-  
re, quibus qui consentiant, CONSCIENTIAE VVLNE-  
RA statim sensuri, MEDICINAM verò (quæ illi satisfa-  
ciat) ex ipsorum scriptis non sint inuenturi. Item, qui cum  
ipsis consentiant, eorum conscientias INTER CER-  
TVM & INCERTVM FLVCTVARE, & in iudicio  
Dei seueriore consistere NEQV A QV A M posse. Et in his  
epistola vñà cum Brentio ad Principem Landgrauium  
ita scribit: Postremo C. V. obsecramus, ne in hoc magno &  
arduo negocio patiatur se à verbis institutionis, ad nescio  
QVAS ALLEGORIAS abduci. Nam in ordinationi-  
bus diuinis, PROPRIETAS VERBORVM retinenda  
est. Et quidem, si rationes, quibus Cinglius mouetur, con-  
scientijs ita satisfacerent, vt in iudicio Dei ijs nisi possent, fas  
cile NOS ALLEGORIAS ipsius approbaremus. Certū  
autem est, non posse ACQVIESCERE CONSCIE-  
NTIAS, istis argumentis. Deinde manifestum est, horri-  
biliter eos peccare, qui incerta pro certis defendant, & oc-  
casione præbent, non mod' schismatis, sed etiam bellis.  
Docet idipsum quoque, distinctio eius, qua inuisibilem  
Christi, in his terris conuersationem discernit ab ea, qua iam  
de nostra doctrina senserit, ex his verbis ad Fridericum  
Myconium, liquidum euadit.

Nec verò (ait ille) quisquam mihi persuaserit, Augu-  
stinum hoc loco sic alligare corpus Christi ad VNUM LO-  
CVM, vt nusquam alibi esse posse, confirmet, presertim cum  
SCRIPTURA NVSQVAM affirmet, Christum ita in  
vno

vno loco esse, vt alibi esse non possit. Quid enim adferri pos-  
test, præter HUMANÆ RATIONIS IUDICIVM,  
cur hoc modo includamus Christum in vnum locum? sed  
IUDICIVM RATIONIS DEBET SCRIPTVRÆ  
CEDERE. Hæc Melanchthon.

Etsi autem posterioribus annis planè contrarium scri-  
psisse à Cinglianis iudicetur: (cuius rei iudicium ego mihi  
non sumam) tamen, neq; à Beza, vel Cinglianorum quo-  
quam, furiose idcirco delirasse, sed profecisse dicitur: Non  
ea, quorum ipse author fuerit, summa tandem animi levita-  
te & inconstantia rursus damnasse, sed potius hanc doctrinæ  
partem repurgasse & illustrasse scribitur, adeò æqui sunt  
hi rerum iudices, adeò sine omni affectu, cuncta agunt, ita  
scilicet, vt Danæus nugatur, remotis omnibus animi per-  
turbationibus, sine omnibus præiudicijs, in futura Synodo,  
pronunciabant.

Quibus autem de causis, D. Brentium, Beza atq; Da-  
næus, Cinglianum adeò audacter pronuncient, nulla Sy-  
billa nobis explicauerit.

Etenim, vt hinc exordiar, hæc illius eo capite est Con: Exeg. in Ioan.  
fessio. Proinde recte fecerimus, si confiteamur, Christum cap. 6. pag. 128.  
verbo suo, PER PANEM, Apostolis corpus suum do-  
nasse, & dispensasse: Nam & alias externis aliquot signis, “  
aut si maiis, INSTRUMENTIS, dona sua exhibuit. Et Pag. 128.  
rursus: En Christus verbo suo, per lutum, oculorū lumen, “  
cœco donauit, non quod aut lutum, aut aqua Silohe quic-“  
quam ex sua natura, ad illuminationem cæci, contulerint, “  
sed quod habuerint verbum Christi annexum, quo poten-“  
ter restituebatur oculis lumen: Ita & Christus in cœna ver-“  
bo suo, PER PANEM, Apostolis corpus suum offert, &  
dispensat. Et rursus: Nec enim cantharus est vinum, nec Pag. 126.

vinum manu tangitur, sed vinū cantharo, veluti instrumento, offertur & donatur. Itaqꝫ cantharus dicitur esse vinū, non quod vinum solum SIGNIFICET, (quid enim profuerit vacuum cantharum offerre? hoc esset hospitem irridere, nō honorare) sed quod hoc instrumento vinum hospiti donatur; ita Christus donat nobis corpus & sanguinem suum, quia vero ea offert nobis pane & viño, INSTRUMENTUM corpus, SIGNIFICAT. Et vinum EST sanguis, non tantum absentem sanguinem SIGNIFICANS. Hac D. Brentius.

Aut igitur mea fallit opinio, aut hæc Cingliana Confessio prorsus non est. Etsi omnino illis videbitur, age subscribant & profitentur, tum demum verò (Beza) coelum & terram (vtar enim tuis verbis) exhilarabimus.

*Pag. 120.* Deinde perspicue affirmat D. Brentius, totum istud sextum caput de Sacramento coenæ Dominicæ NIHIL loqui. Id cum Cingliani, aut nunquam, aut certè quām egerim concedant: quomodo ipsorum partis est D. Brentius?

*Pag. 29.* Præterea, profitetur D. Brentius palam, se eos, qui ē cena tollant corpus & sanguinem Christi, aduersariorum loco habere.

Si Pontificios eum notare quis dicat, quām erit ridiculus. Si itaqꝫ Cinglianos intelligit, quod nemini dubium esse potest, sic argumentabuntur illi: Brentius Cinglianos aduersarios pronunciat: Ergo sentit cum ipsis.

*Pag. 120.* Simile huic est, quod eos, qui ex sexto cap. Ioannis, opinionis sua patrociniū, quamvis frustraneo conatu, querant, Sacramenti huius prophanatores appellat. Cinglianos aut erroris sui subsidiū inde petiſſe hactenus, qui nescit, nā ille rerum omnium planē ignarus est. Argumentū ergo eorum sic

sic procedet: Brentius Cinglianos sacramentorum prophætatores dicit. Ergo patrocinatur Cinglianismo.

Insuper, Carolostadij opinionē nominatim D. Brētius repudiat: sed Cinglius illius patrociniū suscepit, nec solū scripta ipsius Ecclesię cōmendauit, atq; pro eo Tiguri, cū Senatus, illius libros vrbe prohiberet, intercessit: verūmetiā Carolostadiū veritatem agnoscere dixit, et si verba nō recto ordine collocaret. Cum itaq; Carolostadij ineptias Brētius reiecerit, Cinglius approbasse visus fuerit, quomodo cū ipsis cōsentit?

Sed forte hoc eos mouit, quod ibi scripsit D. Brētius, cœs *Pag. 127.*  
nam Dñi, adeo esse splendidam, vt praे illo oppiparo conuiuio, agnus paschalis sordeat. Sed nullū adeo Cingiani inter veteris & noui Testamenti Sacra menta, discrimen nōrunt, *Lib. contra Beza* eandē omnino rationē, præsentia corporis & sancti Guinis Christi, utrobicq; esse doceat: Et alibi: Patrū & nostra *Apol. ad Acta Sacra menta*, signis quidem differre, sed R E paria fuisse, *scriz Torg. pag. 31.* bat. Quo pacto igitur Cinglianorū sententia Brentius est?

Atqui docet D. Brentius, Christum dona sua, quæ sunt *Pag. 129.*  
corpus eius & sanguis, primū, s v A ipsius M A N V, in coena Dominica: deinde per M A N V s Apostolorū, distribuisse: Sed cum has phrases, atq; loquendi formulas, cane & angue peius illi oderint, rem ipsam vero multo magis, certe Brentius Cingianus non erit.

Quid si ex eo D. Brentium Cingianum fuisse, illi *Pag. 130.*  
autument, quod ait, se scripsisse ista in eorum gratiam, qui honorem verborum Christi illæsum relinquunt, vt eorum iuaret conscientias. Sed nemo est omnium, qui Solem hunc intuentur, qui maiori ignominia, illa Christi verba, affectuat, quam Cingiani, quod lippis & tonsoribus notum est, quomodo ergo in eorum gratiam ista scripsisset Brentius?

Pag. 127.

Insuper, tropum & metonymiam in verbis cœnæ  
 admittendam, contendunt Cingiani. Brentius autem sy-  
 nechdochen tantum concedit, quæ sit loquendi modus in  
 scriptura, & communis hominum consuetudine familiarissi-  
 mus. Quām bell'e igitur conueniunt sibi?

Addo & illud, cum explicaret D. Brentius hæc verba:  
 Amen dico vobis, nisi ederitis carnem, &c. inquit: Nullus  
 est hic sermo de Sacramento corporis & sanguinis Christi,  
 sed pergit Christus in incepta metaphora: Sic ille.

Opponit ergo inter se, mandationem sacramentalem,  
 & spiritualem, quam Metaphoricam appellat. Cingiani  
 autem ita confundunt utramq; vt aliud discriminem ignorent,  
 quām quod illa adiuncta habeat externa symbola, quibus  
 hæc careat. Nulla ergo est inter eos consensio.

Sed quid si hoc obseruarunt Cingiani, quod Brentius  
 affirmat, eorum interpretationem, qui (Est) pro (significat)  
 accipiunt, falsam esse. Atq; hoc ipsius Cinglii commentū  
 est. Tale itaq; esset argumentum: Brentius Cinglii senten-  
 tiā & interpretationem falsam esse dicit: Ergo sentit cum  
 ipso.

At fortasse id animaduerterunt, quod D. Brentius scri-  
 bit, eos exibilandos esse, qui cōtendant, corpus Christi pro-  
 pterea in Sacramento cœnæ non offerri, nec distribui fidei  
 nostræ, quod caro nihil prodit.

Verum isthæc Cinglii prora & puppis fuit, vt Melan-  
 chthon de Cingiana factione (sic enim appellat) non iniur-  
 ia scripsit: cū totis sexcentis annis disputauerint, nihil  
 adferunt, præter hanc vocem, caro non prodeat quicquam.  
 Hoc igitur modo formandum fuerit argumentum: Brenti-  
 us Cingianos exibilandos asserit: Ergo est Cingianus.

Si vero Brentium Cingianum esse, ex his quæ hacce-  
 nus

nus commemorata sunt, nondum satis constaret, istud (pusto) firmissimum adiiciam. Scribit D. Brentius, eos, qui propter fidei articulum (ascendit ad cœlos) corpus & sanguinem Christi ē coena tollant, vti A S T V, alios omnes præ se cōtemnere, & fungos existimare, & fidei nostrę simplicitati imponere. Sed si recte memini, hoc ipsum agunt Cinglianii, quomodo ergo verum est, Brentium ipsorum dogmati fauisse?

Iam nimirum sciam, quid causæ sit, quod D. Brentius Zinglianus dicitur. Vult enim simplicitatem verborū cœnae omnino retinendam esse, neq; vlo fidei articulo quenquam cogi, vt ab illa simplicitate discedat. Verum non tam odit olim Roma Vatinium, quām illi duplici corde & lingua viri, verborum Christi simplicitatem. Quid ergo Brentium sūra factionis fuisse nugantur?

Quod si ne sic quidem, quare Cinglianus Brentius sit, assecutus sum, et si diuinando ferē defatigatus sim, duas tamen adhuc eius rei coniecturas subiiccam. Altera harū est, quod ad D. Lutheri libros Brentius prouocat, & nominatim ad eum Lutheri sermonem, qui tum primum aeditus fuerat, & articulum fidei (ascendit ad cœlos) adeo egregie ibi explicatum ait, vt abunde cuilibet satisfacere possit, & plura addere, planē superuacaneum videatur. Atqui Cinglianii, in primis autem Beza, omnes huiuscmodi D. Lutheri libellos suppressos optat, cūm ingenij non sit vscq; adeo habetis, vt non intelligat, quantum D. Lutheri scripta dogmati ipsius noceant. Quomodo itaq; Cinglianus tum Brentius fuerit, Beza ipse viderit. Ego interea alteram coniecturam adferam. Brentius dexteram Dei non definit certo loco, in quem Christus, Physica locatione, ascenderit & cōfederit, sed maiestate, & omnipotentia. Sic enim inquit,

Pag. 127.

Christum ascendisse in cœlum, & sedere ad dextram Patris, est esse cum Patre æqualis potentia, maiestatis, ac imperii, & tam latè dominari, quām latè Pater dominatur.

*Et iterum.*

*Pag. 129.*

Tantum abest, inquit, ut hanc dispensationem ascensus Christi ad cœlos, impedit, ut eam potius confirmet, & obsecraret. Ascendit enim ideo super omnes cœlos, ut OMNIA impleret.

*Et rursus.*

Porro filium hominis ascendere, est Christum glorificari, & omnia tam in cœlo, quām in terra, in suam potestatem accipere. Ascendit enim super omnes cœlos, ut OMNIA impleret, & omnium rerum dominium sibi vendicaret. Ex his si Cinglianum Brentium fuisse probare quispiam voluerit, ita argumentabitur: Brentius ubiquitarius est, Ergo est Cingianus.

Sed forte mandationem impiorum negat Brentius, hoc enim in primis velle Beza videtur: verba itaq; Brentij adscribam.

*Pag. 123.*

Proinde (inquit ille) si per infidelitatem, donum Dei Sacramento oblato respueris, non incommodabis VERTA TATI Sacramenti, sed tuæ ipsius saluti.

*Et rursus.*

*Pag. 129.*

Infidelitatem, aut oblata dona respuere (ait) aut sibi in iudicium sumere.

Apostoli etiam verba pro confirmatione eorum quæ dixerat, adfert, & in quam sententiam accepta velit, Augustini testimonio, quod addit, ostendit, qui inquit: Non interest, cum de Sacramenti integritate queritur, quali fide imbutus sit ille, qui Sacramentum accipit. Interest quidem pluris

D. Papum, libello, admonitio. 87

plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest, fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & peruersam fidem.

Quod si quis ex hactenus dictis Brentium indignorū manducationem negare, satis probasse videbitur, is eodem labore rusticos hominum numero iam amplius non esse censendos, demonstrabit.

Beza itaq; & Danæus, cum Brentium suæ sectæ fuisse probare conantur, si quid præstent, querat aliquis, mihi ita videri: respondebo, quod Beza hircum mulgeat, Danæus vero supponat cribrum.

Quia vero hoc vrgent, quod fidei, non ori, aut ventri corporali, corpus & sanguinem Christi, dispensari ille dicat, videamus verba ipsius, sic autem inquit: In cœna autem verbo suo per panem dispensauit corpus suum fidei Apostolorum, non corporali carnī: Proinde non opus erat, ut Apostolorum O S & G V L A præsentiam corporis in pane sentirent, sed satis erat eam F I D E S E N T I R E. Item: At dices, illuminatio cæco sensibiliter contigit? Non est vt te hæc molestia afficiat. Nam in cœna corpus Christi fidei non ori, aut V E N T R I C O R P O R A L I dispensatum, illuc vero donatum est lumen oculis corporalibus. Proinde, vt altera dispensatio corporalibus oculis sensibilis est, ita altera fit sensibilis fidei. Et rursus: Neq; enim corpus est in pane, aut sanguis in vino, vt vbi subsistant C A R N A L I T E R & A R I S T O T E L I C E, sed vt ibi fidei nostræ seruant, & ipsi dispensentur. Hæc Brentius.

At quis non miretur, Cingianos vnā cum pietate, omnēm simul pudorem prorsus adeo exuisse. Etenim ad convincere

uincendam ipsorum improbitatem, hæc scripsit Brentius:  
 Tanta tamen ipsorum audacia est, atq; temeritas, vt tanquā  
 pro se dicta, contra nos torquere nō erubescant. Cum enim  
 Cingiani ad abnegandam veram, & realem præsentiam  
 corporis & sanguinis Christi in cœna dicerent, si verè ades-  
 sent illa, & sumerentur, tum & oculis corporalibus visibi-  
 lia, & ori sensibilia essent, quod & hodie contendit Beza.  
 Respondet itaque Brentius: Nihil opus esse, vt os & gula  
 præsentiam hanc sentient, sed sufficere, fide sentiri. Neque  
 enim carnaliter, aut Aristotelicè præsentiam illam accipi-  
 endam esse.

Quæ cum ita habeant, hoc solum euicit Beza, aduersus  
 sycophantæ morsum non esse remedium: Et nihil tam di-  
 cūm bene, quin dicendo possit deprauarier.

Pag. 21. Vehementer autem miror, nihil erubuisse Bezam, cum  
*Id ferè centies* scribere auderet: D. Iacobum Andreæ, omnibus sanctis hoc  
 repetit, tribuere, quod divina Christi natura PERSONALITER  
 cum ipsis vñita sit. Tam enim nouit Beza, qu' am suos digi-  
 tos, luculentam se D. Iacobo Andreæ facere iniuriam, vt  
 qui non ignoret, hoc VNICVM constituere illum discrimen,  
 inter inhabitationem Dei in reliquis sanctis, & in Christo  
 homine, quod huic personaliter vñitus sit. Verum Cinglia-  
 nus candor, passim vt se prodat necesse est. Vbi enim hoc  
 dixit, aut scripsit ille? Age dicat: Etenim, quod mentiri Be-  
 za adeo insuerit, vt aliter vix possit, nihil plane, nisi quod ad  
 oculum demonstrarit, ipsi credi potest. Atqui in margine  
 locus assignatus est, videlicet trigesima octaua pagina, the-  
 sium aduersus Ingolstadiensis Momii disputationem: Fa-  
 teor: sed quare non verba apposuit Beza? nimirum nugæ  
 psit D. Iacobus Andreæ: In quo (Christo) Deus dicitur  
 mortuus.

mortuus. Primo quod hæc contumelia in Deum redundabat, cum quo homo personaliter unitus est, quod tamen habet communem cum omnibus sanctis: Non te (inquit Deus de Samuele) abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Hæc ille. Quod itaque de contumelia Christo facta, IN DEVM REDVNDANTE dixerat: communè illā habere Christū cū reliquis sanctis, id Beza malitiose ad personalem vniōne detorquet, cum vel Samuelis exemplum monere ipsum contra calumniam hanc debuisse.

Quod itaque, quæ perspicue dicta sunt, & Scripturæ insuper exemplo illustrata, peruerat tamē Beza, quid iudicandū de ipso sit, nemo nō videt. Vulgo dicitur: Materia bona, si bonus adhibetur artifex. Beza aut̄ artifice, quid tandem bonū fuerit; Cetero si hoc non obseruauit, quadrupedum stupidissimo stupidior: sin animaduertit & dissimulat, Patacione profecto ipso calumniosior est: nunc penes ipsum sit optio, nos interea ad alia progreddiamur.

Nō ex quouis ligno Mercuriū fieri, veteres dixerē. Illud verissimum esse, suo exemplo nos docent iij, qui perniciose Ecclesiæ errore, Bezam Theologiæ studio consecrandū censuerūt, quem Principis alicuius architriclinū, vel archimagerū, esse prestaret. Etenim si in cæteris, tam parcus rerū condus promusque futurus fuisset, quām est in veritate proferenda parcissimus, vel ex Iro Principe, Croësum Crassumque effecisset. Quām nouercalī enim odio, veritatem insectetur, testatur mōstrosa illa calunnia, quod corpus & sanguinē Christi in coena, interdum propter vniōnem personalem, interdū propter vniōnem sacramentalem, & verba institutionis, adesse per, nescio quam, incōstantiam, docere nostros affirmat, & ut calumniam calumnia cumulet, addit: Vbi quītam stare non posse, si per sacramentalem modum in coena Christus præsens sit, quia tot loca (ybi Christus præsens non sit personaliter) excipienda sint, in quot coena celebrabitur: vel si utroque modo (inquit) adest, quorsum hic, si ille sufficiebat.

Itaq; negocium sese intelligere callide hic veterator dissiz  
*Lib. contra D. mulat, qui tamē alibi, & quidem ante annos quindecim sic scri-  
 Brentium,*  
pag. 230.  
 psit: Sed si ita est Brenti, quid tandem sacro illi pani & vino  
 tribues, quod non etiam ipsis abiectissimis rebus tribueras?  
 Hoc, inquires, amplius tribuo, quod Christus sese sub illo pane  
 & illo vino C O M M U N I C E T, S V B A L I I S R E-  
 B V S N O N I T E M. Sic ille. Quanta autem isthac est malitia:  
 quanta hominis Theologi leuitas?

Etsi autem vnicum istud sufficere poterat, quod satis esset,  
 Bezam proprio iugulatum esse gladio: tamen D. Lutherum,  
 olim quidem cum Germano, nunc vero cum Beza, Gallo, lo-  
 quentem, quoq; audiat.

*Lutherus Tom. Ger. len. tertio fueris, insulse asine. Etiam si corpus Christi sit in omnibus locis,*  
fol. 390. facie 2.  
 non tamen tu statim ipsum vel deuorabis vel helluaberis, vel  
 attinges. Nec ego tecum de his rebus colloquor, sed alego te  
 in haram tuam porcorum, aut in tuum sterquilinium.

*Et paulò post.*

Ita de Christo sentiendum est, quod etiam si sit vbiq; præ-  
 sens, tamen non sinit se pro tua libidine, tangi & apprehendi.  
 Nouit n. se ita expedire, vt tu tantum putamen retineas, nucleus  
 um autem non apprehendas. Quid ita? quia aliud est Deum  
 esse P R A E S E N T E M, aliud Deum T I B I esse præsentem.  
 Tunc autem T I B I præsens est, cum addit V E R B U M suum,  
 & eo sese alligat, ac dicit, hic me inuenies. Cum igitur habueris  
 verbum eius, tunc potes eum vere apprehendere & tenere, ac  
 dicere: Hic te teneo, sicut tu ipse affirmas.

*Eodem libro.*

Etsi humanitas Christi, postquam ad dexteram Dei est, in  
 omnibus etiam & super omnes res est, iuxta naturam dextræ  
 Dei, fieri tamen non potest, vt ita eum deuores & hellueris, si-  
 cut

## D. Pappum, libello, admonitio. 91

cut brassicam, aut offam in tua mensa, nisi ipse hoc tibi volens  
permittat. Factus est enim incomprehensibilis, nec capies eum,  
etiam si fuerit in tuo pane, nisi sese tibi alligauerit, & remittat  
verbo suo ad peculiarem mensam, & ostendat ipse tibi panem,  
quo eū edas. Id quod in coena sua fecit & dixit: Hoc est corpus  
meū. Quasi diceret, potes quidem etiam domi tuæ panem ede-  
re, vbi ego absq; dubio satis propè adsum. Illud autem verbum  
est (ꝝ n) videlicet, Hoc est corpus meum. Cum hoc ederis, tum  
edis corpus meum, aliás non edis. Quid ita? quia hīc alligo me  
per verbum meum, vt non hinc inde vacilles, & nō me in om-  
nibus locis, in quibus sum, queras. Hoc enim tibi nimis difficile  
esset, & tu imbecillior es, quām vt possis me illic absq; meo ver-  
bo apprehendere. Hactenus, D. Lutherus.

Hæc etsi Cinglianis centies nunc dicta scriptaque sint: Beza  
carmen quasi nuper modo in lucem æditus, aut in alio Mundo  
hactenus versatus, omnium horum, scilicet ignarus est.

Incredibilem propè Adamantis duritatem esse aiunt: vnde Pag. 17.  
& illi, qui exorari aut emolliri nequeunt, Adamantini vulgo di-  
cuntur. Sed Adamante longè durior Beza est. Nam ad veritatis  
studium, nullis etiam Adamatinis rationibus, vscq; adeò permis-  
ueri potest, vt minori labore ex illo flu men, quām ex hoc tan-  
tillum veritatis expresseris. Etenim calumniando & mentien-  
do, sibi ipsi non satisfecisse iudicauit, nisi & hanc impudentissi-  
mam calumniam adjiceret, D. Iacobum Andreæ discrimen  
inter Christum & quosquis sanctos, non in vnione, sed sola  
ENERGIA & effusione proprietatum extra vnionem con-  
stituere. Sic ille. Dicas profecto, Bezam toties fer'e, quoties lo-  
quitur, calumniari.

Etenim D. Iacobus Andreæ, libro ad Bezam, pag. 47. hac ca-  
lumnia dudum sese liberauit, his verbis: Sicut ipsa vnio aliter nō  
potest explicari, quām per proprietatū plenariā cōmunicatio-

nem, quæ tamē I P S A V N I O N E E S T P O S T E R I O R, ita  
etiam discriminem inter hanc personalē vniōnē & aliā quamvis Dei  
in creaturis præsentia, non nisi hac ratione explicare possumus.

Et pag. 40. Sicut, quid sit vno animæ cū corpore, aliter intel-  
ligere nō possumus, quām per communicationem illam poten-  
tiarum animæ, quas per vniuersum corpus exercet, cū tamen  
hæc communicatio energiarū sit aliquid, ipsa vniōne posterius,  
quæ vniōnem sequitur; ita etiam quid sit vno illa personalis dis-  
uinæ & humanæ naturæ, qua vnum personale constituunt, scis-  
re non possumus, sine hac communicatione proprietatum diuis-  
næ naturæ, quæ personaliter per assumptam humanitatem omni-  
nia operatur. Nihilominus tamen vno E S T A L I Q Y I D  
A L I V D, quām hæc ipsa est communicatio. Et tamen idem dis-  
citur esse, quia simul fiunt vno & communicatio. Et vno per  
communicationem, quid sit, explicatur, & hoc eodem modo  
etiam definitur.

Et pag. 102. Postremum (Bezae corrigendum) est, quod in  
sola eph̄ȳg extra vniōnem arbitratur nos cōstituere discriminem  
Christi à Petro, aut quo quis alio sancto. Aliquoties autem nunc dis-  
cū est, energiam Christi ipsa vniōne N A T V R A P O S T E-  
R I O R E M esse: nisi enim vno P R A E C E S S I S S E T, energia  
hæc hominis Christi non secuta fuisset: quæ vno non nisi per  
energiā quid sit, definiri & explicari potest. Hactenus ille.  
Beza ergo, cum Nathanaelē se dicit, sycophantam vero agere  
vellet, hæc D. Iacobo Andreæ tribuere debuit.

Verum calumniarum ne adhuc quidem finis. Ait enim Be-  
za, D. Iacobum Andreæ, Christum, nunc per accidens, nunc  
quasi per accidens Deum dicere, in modo non Deum sed diuinū ho-  
minem. Et ut omnino satis sibi indulget, voculam (Quasi) ca-  
lumniatur & exagitat, dicens esse σοφὸν φαρμακόν ab ipso exco-  
gitatum. Sic ille. Atqui Deus bone, quanta est huius hominis  
vanitas, citius profecto clauam Herculi, quām huic veritatem  
extor

extorqueas. Etenim finxisse Beza ista per calumniam, dudum ostensum ipsi est. Sic enim D. Iacobus Andreae libro aduersus ipsum pag. 35. inquit: Firmiter autem credimus & docemus, in Christo vnam, æternam & naturalem, veram & essentialem diuinitatem, qua Christus, æterno Patri æqualis & ὁμοόςιος, ab æterno Patre genitus est. Et hanc dicimus humanitati Christi communicatam personaliter, sicut animam corpori naturaliter, ut cum diuinitate communes actiones habeat, natura humanitatis semper infra Deitatis naturam subsidente. Necq; VLLAM ACCIDENTARIAM DIVINITATEM fingimus, aut accidentarium DEVM somniamus, sed Deum in carne manus festatum, Deum incarnatum, Deum æternum in humanitate assumpta, omnia in cœlo, & in terra administrantem, asserimus, quod mysterium omnem humani ingenij captum excedit.

*Et ibidem.*

Ex his patet etiam, quām atrox sit calumnia, quam toties cū tragica exclamatio repetis Beza, & lectori inculcas, quod dis- cis, nos affirmare, Christum PER ACCIDENS tantum esse Deum. Haec calumnia, ex hypothesi in capite tuo conficta pro- cedit, quo somnias, nos docere, in humanitate Christi separatam quandam cū diuinitate naturali æqualitatem: quam toties nunc refutauimus, & similitudine animæ, & corporis tibi non ingra- ta ad oculum demonstrauimus. Haec ille. Ex quo rursus ma- nifestum est, Beza, si tam leporem referret, quām ea, quae dis- cit & scribit, putidissimum mendacium, nusquam & ne quidem in cathedra, à canibus tutum fore.

Quod vero Beza improbè querit, ubi nam suum (quasi) ille Pag. 27. inuenierit, & ab ipso temerè excogitatum affirmat, dudum, & his quidem verbis responsum ipsi est.

*Iacobus Andreae ad Bezam, pag. 51.*

Quod vero addit (Beza) hanc descriptionem nō modo nos- uam, sed etiam in Ecclesia Dei inauditā esse, quam ipse, vt pror-

sus falsam repudiat, id multo magis mirandum est. Etenim hanc ego non confinxii aut primus inueni, sed ex Gabriele Biel, scholasticorum non insimo, descripsi, quam ipse paulo copiosius, & eruditè sanè explicat.

**Pag. 65.** Quod ergo in Thoma inuenit Beza, corpus Christi nō posse esse in pluribus locis: in Gabriele suum (quasi) Jacobus Andreæ inuenit. Hæc etsi tam nōrit Beza, quām nomen suum: tamen quia mendacijs emergere & calumniando, (noua quadam ratione) nominis nobilitatem consequi, decretum ipsi erat, merito in hunc modum ista scribere voluit.

Etsi vero tantus sit reliquarum etiam calumniarum acer-  
uus, vt enumerare eas, quām refutare, fere sit difficilius, vt cū dis-  
cit: Brentianos scribere, proprietates diuinitatis humanitatis in se-  
se cōmunicatas, carni insitas, per se & separatim cōsideratas, ho-  
mini, tanquā subiecto, inhærere, & alia propè infinita: tamen vt  
dicendo finem faciamus, generalem istam solutionem atq; pro-  
testationem Brentianorum Colophonis loco subiçere volui.

*Jacobus Andreæ ad Bezam, Pag. 54.*

Quapropter scias, Christiane Lector, quoties in Bezae scri-  
pto dicta de accidentario Deo occurruunt, in quibus Beza de  
Christo concionatur, qui per accidens tantum sit Deus: qui sit  
diuinus homo, cuius natura seorsim sit facta omnipotens &  
omnipræsens: in quam ita effusa sit diuinitas Dei, vt sint acci-  
dētia absoluta, & à diuinitate separata in humanitate Christi, etc.  
& si quæ sunt similia: illa omnia ad nos nihil quicquam pertine-  
re, sed esse Bezae figmenta & calumnias, quæ nullā causa nobis  
imputantur. Nihil enim horum docemus, sed damnamus, im-  
probamus, detestamur & execramur hæc portenta opinionum.

Bezam itaq; nequaquam Theologum, sed calumniato-  
rem: non Ecclesiæ ministrum, sed perturbatorem: non Philoso-  
phum, sed præstigiatorem: non Nathanaelem, sed imposto-  
rem esse, vel ipsemet nos hactenus admodum luculentier do-  
cuit.

Et si

Etsi autem de emendatione eius penitus desperaverimus, quod catis vetulus non facile assurescat loro: tamen, ut hoc charitatis officium ipsi præstemus, studiose admonitum volumus, ut nisi deploratus omnino sit, nisi prorsus in mentem reprobram tras ditus, in seipsum descendat, & toties vicitus, tandem errorem agnoscat, fateatur, deprecetur, reuertatur, & desinat tandem Θεοπατέρι veritati obloqui, conscientiæ contradicere, atq; adeo contra stimulum calcitrare. Sat obstitit hactenus gloriæ Dei, sat damni, sat etiam turbarum dedit Ecclesiæ eius, sat piorum dementauit animos. Meminerit ergo tandem, iam iam ad rationem Deo reddendam vocatum iri.

Quod si littus arare, si in faxis sementem nos facere intelligamus, dolemus quidem vicem eius: interea tamen, vt cunque ille furere non desinat, nos suscipit de cibis habituрос nōrit, vt cunque actum agere non cesset, nos huius non facturos sciat, vt cunque oppedere Ecclesijs nostris pergit, nos iam amplius manum non verterimus, imo non magis de omnibus ipsius nēnīs & nugis, quam de ranis palustribus laboraturos esse.

Eos vero, qui libellos Bezae, prothesauro scilicet carbones, amplexi & admirati hactenus sunt, (quos tamen paucos opinor) circumspectos esse decet. Adeo enim libelli eius calumnijs scatent, adeo conuictijs redundant, adeo mendacijs referti sunt, vt aliud præterea in eis vix inuenias. Et si quid omnino verum illis inest: tamen adeo infirma, adeo iejuna, languida adeo, & elumbia sunt, vt vix spiritum trahant, vix consistant, sed quasi animam agant, mox sua sponte corruitura, vt nunc præteream illud, quod toties, tanquam firmis & perspicuis Scripturæ & veteris testimo[n]ijs, confutata sunt, vt ligna in syllam ferre, atq; oleum & operam perdere voluisse, videri queat, qui eam sibi operam resumat.

Si itaq;

18 H 852

A 1953667

## 96 De Theod. Bezæ, libello admonitio.

Si itaq; illum toties iam profligatum, toties explosum, in scenam redire denuo conspexerimus, nos, qui impudentiam hominis plus satis nouimus, nihil quidem morabimur, sed nec aliud respondebimus, quam illud, quod de muscarum improbitate Poëta olim dixit:

*Quæ quamvis de pelle viri sit sæpe repulsa,*

*Affusat morsura tamen.*

Quòd si obstinato prorsus animo nonnulli, tanquam in eius verba & sententiam iurati, in omnibus ipsum sequi decreuerè, ne vñā cum ipso in foueam præcipites ferantur, videndum illis erit. Pereat ergo omnino, & sua planè culpa pereat, qui data opera perire voluerit. Monstratus est error, detectæ dudum insidiae, ut ne salus quidem ipsa (quod aiunt) si velit, servare eos possit, qui tam nefandis calumnijs aures patefaciunt. Et de his quidem hactenus.

Quòd si quis forte dixerit, Bezan à me tractatum indignè, ei responsum esto, libenter sanè me id fateri & ingenuè. Quis enim effrænem hominis petulantiam compescere, pro dignitate

& merito eius, posset, nisi tandem Deo vtore ac vñz

dice cohercatur? Amen Amen. Et dicit  
omnis populus Amen.

Paulus.

*Vinam absindantur, qui vos conturbant.*

### C O R R I G E N D A.

Pag. 1. lin 15. leg. vitiligator. 19. 18. pro Epistola 19. legge, sermone 159. Ibid. lin 24.  
leg. sermone 14. de verbis Domini. 31. 11. populum. 32. 11. habes. 45. 29. pot  
primum (quomodo) add. ceculm. 50. 11. oberrat. 55. 31. dispergam, sru. 66. 31.  
habere. 68. 17. Erisichtonis. 70. 20. tu. 73. 8 lege plenitudinis, & dele, seu. 73.  
12. nos. 73. 30. est ipsius. 78. 5. pro est, lege dicitur. 78. 21. discedēti. 81. 16. pro  
nunq; abunt. 87. 25. ibi. 91. 7. verum. 95. 24. rerum. 96. 3. dicat.